MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80202-4

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

BAEHR, WALTER

TITLE:

CENTURIONIBUS LEGIONARIIS...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1900

Master Negative #
91-80202-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

874
B144 Baehr, Walter, 1877-
De centurionibus legionariis quaestiones epigraphicae. Berolini, Simion, 1900.
54 p. 22 cm.

Thesis, Berlin, 1900.

D877.17
B14 Another copy in Classics Reading Room.

124526

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9/3/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

874 B144

Columbia University
in the City of New York

Library

DE
CENTURIONIBUS LEGIONARIIS
QUAESTIONES EPIGRAPHICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE X M. MARTII A. MDCCCC

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

W. BAEHR

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARII ERUNT:

BRUNO LIER, STUD. PHIL.
GERHARD POSNER, CAND. PHIL.
JOHANNES JURK, DR. PHIL. DES.

BEROLINI 1900.

TYPIS LEONHARDI SIMION.

174
B144

Parentibus sacrum.

308282

Pars prior.

1. De aditu ad centurionatum.

De centurionatu Romano tres possunt institui quaestiones, de aditu ad centurionatum, de successione in ipsis gradibus centurionicis, de spe promotionis ad ampliora munera. Quarum altera a Mommseno[1]) tam sagaciter pertractata est, ut prorsus nihil habeam, quod addam. Sed ceteras retractare operae pretium mihi esse videtur.

Quod attinet ad promotionem ad centurionatum Karbe[2]) et Marquardt[3]), qui ante me de ea re egerunt, duo discreverunt genera hominum ad centurionatum admissorum, alterum militum legionariorum, qui ad stipendia centurionica promoti sint, alterum nobilium iuvenum, qui seu paupertate coacti seu spe ad ampliores gradus successionis adducti militiam a centurionatu auspicati sint.

Ac primum quidem ad eos me converto, qui postquam tempus aliquod gregales militaverunt, centuriones facti sunt. Quaeritur, utrum miles vel potius principalis quilibet ad centurionatum ascendere potuerit an is, qui certa stipendia militaverat. Qua de re quamquam nihil memoriae proditum est, tamen non dubito, quin milites nisi certis functi stipendiis ad centurionatum admissi non sint. Ad primipilatum quidem impetrandum certa fuisse determinata tempora confirmatur titulo Africano[4]), in quo legitur: „p p praerogativo tempore facto [a divo] Hadriano."[5])

[1]) Eph. ep. IV pag 266 sqq.
[2]) de centurionibus Romanis quaestiones epigraphicae dissert. Hall. 3—4 pag 424 sqq.
[3]) Röm. Staatsverw. II (editio altera) pag 378.
[4]) C. J. L. VIII 10579.
[5]) Aliter iudicat Domaszewski Westd. Corr. Bl. 1899 col. 58.

Atque item militibus, priusquam vitem acciperent, certum annorum numerum fuisse militandum verisimillimum est. Jam quaeritur, quot annos? Videamus, qua vitae aetate homines plurimi, scilicet ei, qui antea stipendia fecerunt, ad centurionatum successerint. Ac primum eos componam titulos, in quibus stipendia ante centurionatum merita laudata sunt:[1])

III 771: vixit annis XXXII factus 7 vixit me[nses . . (secundi saeculi) V 940: milita(vit) gregales ann(os) XIIII et centurio ann(os) III vixit ann(os) XL et men(ses) V (tertii saeculi) V 8275: 7 ordinar(ius) leg(ionis) II Adi(utricis) salarior(um) XII qui vi(xi)t annos XXXVIII (tertii saeculi, quo in titulo salaria numerari pro stipendiis centurionicis adnotavit Mommsenus) XII 2234: qui eod(em) co(n)s(ule) quo milit(are) coepit aquilifer factus est, annos XIII aquilifer militavit, [7] factus C Antistio Vetere II M Suillio Nerullino cos (= a. p. C. 50.) XIII 1832: qui militavit 7 ann VII ex cornic(u)l(ario) vixit anno(s) XXXXV (tertii saeculi) XIII 1881: probatus [est ann(orum)] XX milita[vit an]nis XVIII [. . . h]astatus in leg(ione) I [M(inervia [f]actus ex [a]ct[i]s [proc]u[r(atoris)].

Videmus igitur uno excepto omnes intra tricesimum et quadragesimum vitae annum ordinem accepisse. Praeterea non pauci centurionum tituli exstant, in quibus quot stipendiis meritis centuriones facti sint non legitur, sed eos intra tricesimum et quadragesimum aetatis annum mortuos esse enuntiatur, ut II 4150: vixit annos XXXVII, III 10888: XXX menses VIIII, V 6782: XXXVI, V 6512: XXX, V 8278: circiter XXXX, VII 246: XXXVIII, VIII 2848: stip. XIIII, VIII 2938 vixit annos XXX. Sed homines ante tricesimum aetatis annum centuriones facti inveniuntur: III 10853 (secundi saeculi): qui vixit annos XXVIIII, VI 3592: XXV, VIII 2869: XXVIII.

Quae omnia si respicimus, hoc fere statui potest: Milites plerumque decem vel quindecim stipendiis meritis ad centurionatum successerunt, milites minus decem stipendiis functi raro centuriones facti sunt.

---

[1]) Non attuli titulos centurionum cohortium in urbe tendentium et frumentariorum.

Quod attinet ad secundum genus centurionum, id est eorum, qui militiam a centurionatu auspicati sunt, praeter illos, qui in titulis se esse centuriones „ex equite Romano“ praedicant,[1]) etiam inveniuntur, qui equestribus functi militiis ad centurionatum descenderint.

Innotuerunt mihi hi:

1. II 2424: L. Terentio M. f. Quir Rufo praef coh VI Britto 7 leg I M p f don don ab imp Traiano bell Dac p p leg XV Apoll trib coh II vig.

Quem militiam suam auspicatum esse a praefectura cohortis, deinde ordines duxisse, imprimis ea re confirmatur, quod primipilares, ut infra demonstrabitur, nisi tribunatibus cohortium in urbe tendentium militiis equestribus non sunt functi.

2. X 5829: T Pontius T f Pal Sabinus praef coh I Pann et Dalm eq R trib mil leg VI Ferrat donis donatus expeditione Parthica a divo Traiano — — — — 7 leg XXII Primig — — — primus pilus leg III Aug praepositus vexillationibus milliariis tribus expeditione Britannica leg — — — —, trib coh III vig — — — —.

Contra cum neque esset ex ordine equestri neque antea stipendia meruisset gregalia, ordinem accepit:

VIII 217: M. Petronius Fortunatus filius, militavit ann VI 7 leg XXII Primig 7 leg II Aug vixit ann XXXV.

Quem gregalem non militasse cum ex stipendiis apparere videtur comparatis cum annis, quos vixit, tum ex ea re, quod pater, qui et sibi vivus et filio mortuo titulum posuit, sua quidem laudat stipendia gregalia, filii non commemorat.

Tertium genus est eorum, qui postquam certum temporis spatium evocati ex praetorio militaverunt, ad ordinem successerunt, de quibus egit Mommsenus.[2])

Ex tribus his, quae adhuc attuli, ordinis accipiendi generibus per primum plurimos ad centurionatum pervenisse consentaneum est, sed cetera quoque non rara fuisse demonstratur numero non parvo exemplorum epigraphicorum.

Deinde videntur ab imperatoribus decuriones equitum

---

[1]) exempla composuit omnia Cagnat apud Hectorem de Ruggiero. dizionario epigrafico sub littera C pag. 197.

[2]) Eph. ep. V pag. 142 sqq.

singularium stipendiis urbanis rite perfuncti ad centurionatum legionis promoveri soliti esse, cuius rei exstant exempla haec:

II 4147: 7 ex singul Imp VIII 2817: ex dec eq sing Imp

Notizie degli Scavi 1891 pag 129: ex decurione (scil. equitum singularium) factus 7 ab imp Caesare Hadriano.

Inveniuntur denique, qui, postquam in auxiliis militaverunt, in legionibus stipendia centurionica fecerint, quo ex numero primum eos afferam, qui cum stipendia legionaria meruissent, in cohortem vel alam auxiliarem translati tamen centuriones legionarii sunt facti. Cuius rei exempla inveni haec:

V 522: mil leg XV Apol mil coh X pr 7 coh II c R 7 leg XIIII Ge (sub Flaviis)

VIII 2354: mil leg III Aug duplic alae Pann dec al eiusdem 7 leg III Aug. (sub Traiano)

Contra stipendia nisi auxiliaria non fecerunt:

III 11 213 eq item optio decur coh I Alpin item 7 leg XV Apoll (aetatis Neronianae ut videtur)

VIII 9045: a mil primop trib coh IIII vig ex dec al Thracum.

Ordo militiarum etsi in titulo valde confusus esse videtur, tamen non dubium esse puto, quin ille post decurionatum ordinem acceperit et usque ad primipilatum successerit et tum demum ad munera equestria promotus sit, praesertim cum, ut infra demonstrabitur, primipilatum militia urbana subsequi solita sit.

Brambach 787: 7 l I, [7c]hortis Rhamae milliariae in Syria, genitus in Asia Trallis, defunctus Aug(ustae) Tr(evirorum).

Quem quidem titulum Schilling [1]) in componendis centurionum legionis I Minerviae titulis silentio praeteriit, ea de causa, ni fallor, quod ei non verisimile videbatur illam legionem litteris „l I“ significatam esse. Sed in ea re nihil est, quod offendat; saepenumero enim in titulis recentioribus — (hunc autem titulum medio circiter tertio saeculo esse assignandum satis aperte indicat nomen illius hominis: „Flavius Gordius Rufinus“) — legiones hoc modo significatas invenimus. Accedit, quod titulus Augustae Treverorum Germaniae inferioris repertus est, qua in provincia legionem I tetendisse

[1]) Otto Schilling, de legionibus Romanorum I Minervia et XXX Ulpia pag 98. sq.

constat. Apparet igitur melioribus quidem temporibus perraro accidisse, ut homines, qui in auxiliis probati erant, centuriones legionarii fierent. Sed tertio saeculo cum in tanta titulorum illius aetatis paucitate duo huiusce rei exstent exempla epigraphica, centuriones ex auxiliis in legiones minus raro translati esse videntur. Neque est, cur hanc rem mireris. Namque ex Caracallae temporibus omnibus fere imperii Romani incolis civitate donatis gravissimum, quod intercedebat inter legiones et auxilia, discrimen erat remotum.

Quoniam dixi de muneribus centurionatum antecedentibus, iam me converto ad munera centurionatum sequentia.

2. De processu primipilarium ad munera equestria.

Quaestionem de promotione primipilarium ad munera equestria quamquam ante me Karbe satis copiose tractavit, tamen et quia ex illo tempore, quo scripsit, materia non modice aucta est et quia ille vir doctus non satis plene omnia collegisse videtur, quae colligere licet, denuo retractandam mihi proposui. Ac primum quidem exempla epigraphica centurionum, qui ampliores gradus assecuti sunt, ex ordine chronologico perscribam:

I. Tituli inde ab Augusto usque ad Vespasianum.
Aetatis Augusti et Tiberi:

1. IX 3044: prim pil leg XXI, praef Raetis Vindolicis vallis Poeninae et levis armaturae
2. X 3831: primo pilo bis, praefecto equit, tribuno chort IV praet [1])
3. X 4872: prim ordo cohortium praet divi Augusti prim pil leg XIV Gem trib mil cohort XI urb trib mil coh [?]III praet praef fabr
4. X 4862: prim pil leg XI praef cohort Ubiorum peditum et equitum donat — — — ab divo Aug et Ti Caesare Aug praef fabr VII trib mil cohortis primae idiologus ad Aegyptum
5. X 4868: primo pil bis tr mil praef levis armat praef castror imp Caesar Aug et Ti Caesaris Augusti praef classis praef fabr II
6. XI 3801: praef cohort scutatae primo pilo leg XXII trib milit leg III leg XXII [2])

[1]) de tempore coufer. Prosopogr. I A 209.
[2]) „videtur is esse, qui subscripsit a. p. C. 26 n. 3805.“

Aetatis Claudianae et Neronianae:

7. III 6809 pp leg XII Fulm praef castror leg II Aug in Britannia praef exercitu qui est in Aegypto
8. V 6969 prim[ip]ilaris p[raef coh] trib mili[tum] praef fabrum Ti Claudi Caes[aris
9. V 1838/9: primopil leg V Macedonic praef civitatium Moesiae et Treballiae praef civitat in Alpib. maritumis tr mil cohort VIII pr(aetoriae) primopil iter procurator Ti Claudi Caesaris — — —
10. X 1711: pr[imopilo] leg IIII Scythic trib coh . . . . primipilo iter leg XVI Ga[llicae] proc Ti Claudi Caesaris
11. V 533: pp leg XX trib milit leg VII C p f proc Aug praef classis [1])
12. V 7003: primipilari leg VIII Aug trib coh II vigilum tribuno cohort XIII urban tribuno coh XII praetor [2]) donis donato a divo Claud bello Britannico
13. XI 395: 7 — — [p p] leg VI Victric — — — trib coh V vig trib coh XII urb trib coh III pr [tr] leg XIIII Gem Mart Victr proc imp [Neronis] Caes Aug
14. IX 2564: 7 leg XI Cl [. . . . . pr]aef civitatis Maeze[iorum . . . .] iatium praef chor III Alp [3])

Incerti temporis, sed plerique ante Claudium:

15. V 4373: primo pilo praef cohort praef fabr
16. IX 798 p[p . . .] trib leg II pr[aef] castror
17. IX 996: prim pil trib mil praef eq
18. IX 3669: praef fabr praef castror prim pil
19. X 1262 prim pil trib mil II praef castr praef fabr
20. X 7348: primo pilo praef fabrum trib mil
21. et 22. XI 712: prim pil praef eq, [prim] pil [II?] trib mil praef[. . . . . .pr]aef fabrum
23. XI 1056: primipilus tribu[n mil] praefectus castror
24. XI 6344: p p bis praef eq praef cl praef coh c R IIII in
25. XII 2455: praef equitum primipilo trib mil praef Corsicae
26. XII 3177 centuri[oni . . .] tribunus cohort [Ic]iv[Rom] Ingenuorum
27. XII 4371: [tribunu]s militum primipilus pra[ef . .

II. Tituli inde ab Vespasiano usque ad finem saeculi secundi.

sub Flaviis:

1. V 534: p p bis leg XII Fulm et leg I Adiu[t]ric trib mil coh V vig tr coh XII urb tr coh V pr pr[oc] divi Nervae

---

[1]) confer Tac ann 13, 30 ad annum p. C. 57.
[2]) anno p. C. 65.
[3]) titulus positus est a. p. C. 75.

sub Traiano:

2. II 2424 praef coh VI Britto 7 leg I M p f don don ab imp Traiano bello Dacico p p leg XV Apoll trib coh II vig

sub Hadriano:

3. X 1202: (centurio donis donatus a divo Traiano bello Parthico) p p leg I Adi p f praeposit numeror tendentium in Ponto Absaro trib coh III vig
4. X 5829: (post militias equestres centurio legionis) primus pilus — — praepositus vexillationibus milliariis expeditione Britannica — — — trib coh III vig coh XIIII urb coh II praet p p II proc provinc Narbonens

sub Pio:

5. III 5328: p p praef leg X . . . proc Aug [1])
6. V 867 p p leg IIII F f trib coh prim vig trib coh XI urban trib coh VIIII pr p p iterum praef leg II Tra [f] proc — — — a rationibus Aug [2])
7. V 8660: p p subpraef vig proc Aug prov Daciae
8. VI 1599 (sub Marco praef praetorio) — — proc a rationibus — — trib [coh] pr trib coh X urb trib coh V vigul p p bis

sub Commodo:

9. X 1187, IX 1582 [praef co]hortium vigilum praeposito an(nonae) [imp L Septimi Severi] — — — — [praef] classium praetoriarum — — — [trib co]hortium primae praetoriae XI urbanae [VI vigil prim] pil [legi]onum III Cyrenaicae III Gall
10. X 6657: praef cl pr Ravennatis — — — proc oper pub [3]) praep vexillat — — p p leg XI Cl

sine certis temporis indiciis:

11. XI 2704: [p p leg. . . .] et leg VI Ferrat trib c[oh . . . .] trib coh V pr
12. V 930: p p trib cohor I vig trib cohor XII urb trib coh VI praet
13. V 1613: p p bis trib coh VIIII pr proc Aug provinc Brit
14. VI 1626: p p bis leg II Aug et leg X Fretens trib coh III vig trib coh X urb trib coh V pr — — — proc Aug provinciae Britanniae
15. VI 1627: [primi]p leg IIII F f [trib] coh I urbanae [pr]oc Ponti et Bithyniae

---

[1]) titulus dedicatus est Gavio Maximo, praefecto praetorio sub Pio.
[2]) sub Pio; conf. XIV 2008 a.
[3]) a. p. C. 193 conf. VI 1585.

16. II 1178 et 1267: praef classis Misenensis praef classis praetoriae Ravennatis proc provinciae Lusitaniae et Vettoniae p p leg I Adiutricis.[1])

III. Tituli tertii saeculi.

sub Severo et Caracalla:

1. II 484: proc prov M[y]siae inferioris — — praeposito vexill [. . . . pe]r Asiam Lyciam Pamphyliam Phrygiam[2]) primopilo leg III Aug piae vindicis
2. XIV 3626: p p bis procur M Antonini Aug praef leg II Troianae fortis CC trib chort VII praetoriae XIIII urbanae III vigul
3. Orelli 3445: trib coh XIII urb p p leg I Adiutricis p f — — — donis donat ab imp Antonino Aug
4. VI 2861: vir egr p p trib coh I urbanae Antoninianae

sub Severo Alexandro:

5. Dessau 1356: viro egregio proc Aug n[pr]aesidi provinciae Mauretaniae Caesariensis praefecto legionis secundae Parthicae Severianae [*Alexandrianae*] vice legati proc hereditatium tribuno cohortis octavae praetoriae piae vindicis — — — praeposito equitum itemque peditum iuniorum Maurorum iure gladii, tribuno cohortis undecimae urbanae — — primipilum bis

sub Philippis:

6. VI 1645: [praef] veh[icul proc] ludi Ma[gni proc] Lusit trib p[raet] Philipporum Augg p p
7. XI 1836 vir cos[3]) — — — praef praeto — — praef vig — — trib coh I praet protec Augusti nostr item trib coh IV praet trib coh XI urb trib coh III vig leg X et XIIII Gem — — — praeposito equitum singularior Augg nn p p leg XXX Ulpiae

sine certis temporis indiciis:

8. III 1919 p p leg V Mac praeposito classis Misenatium [pr]a[e]f leg VI victricis duci leg coh[ortium alaru]m Britannicianarum adversus Armoricanos proc centenarius prov Li[burniae] iure gladi
9. VI 1636 e m v proc et praesidi prov Sardiniae p p bis trib cohh X pr XI urb IV vig praef leg II Ital p p leg III Gall

[1]) omitto XII 112: p p proc Aug et XII 5430: p(roc) Aug ex primi pil, quibus in titulis non universus cursus honorum laudatur, sed solum id munus quod eo tempore, quo titulus positus est, gerebatur. primipilatus autem mentio facta est, quod etiam tum illi huius ordinis erant.

[2]) contra Pescennium Nigrum opinor.

[3]) cos suff a. p. C. 261.

10. VIII 9045 eq R trib coh IIII Syng[am]b[rorum] a mil primop trib coh IIII vig ex dec al Thrac
11. C J G 3711: *πρειμωπειλάριον χειλίαρχον οὐρβανικιανόν.*[1])

Primipilares non raro ad munera equestria promotos esse, id quod ex titulis, quos composui, elucet, iam diu constat inter homines doctos. Ad illos honores qua ratione processerint, iam perquiretur.

Titulos, qui aetatis Iuliorum et Claudiorum sunt, si perspiciemus, ut diiudicemus, qualibus muneribus equestribus homines illi primis perfuncti sint, primipilares septem inveniuntur, qui post primipilatum tribunatum militum (5, 17, 19, 22, 23, 25, 27), quattuor, qui praefecturam tribunatumve cohortis (4, 8 (?), 15, 26) tres, qui tribunatum legionis, (6, 11, 16) tres, qui praefecturam equitum (2, 21, 24) tres, qui curas cohortium urbanarum (3, 12, 13) tres, qui praefecturam civitatium (1, 9, 14) duo, qui praefecturam castrorum (7, 18) obtinuerunt, unus (20), qui praefectura fabrum functus est. Ad militias igitur equestres omnes aeque fere primipilares successisse satis manifestum est. Deinde commemoratione dignum videtur, quod praeter illos, quos primo munere equestri tribunatu urbano functos attuli, etiam tres (2, 4,[2]) 9) inveniuntur, qui post alias militias ordinis equestris proprias curas cohortium praetoriarum susceperunt.

Aetatis eius, quam in perscribendis titulis secundam separavi, titulos si eodem consilio perspiciemus, commutationem in hac re factam esse continuo apparebit. Nam inter quindecim[3]) viros, qui ad dignitatem equestrem ascenderunt, decem post primipilatum tribuni cohortium in urbe tendentium facti sunt; duo autem curis extraordinariis interpositis tribunatibus urbanis functi sunt. Igitur cum ex quindecim viris duodecim post primipilatum tribunatus cohortium urbanarum obtinuisse constet, unum praefectura castrorum functum procurationem

[1]) omitto XII 7, 5430—38: p p praesidi Alpium, Prosop. I A 1205: primipilaris et procurator Aug C J G 4346: *δουκηνάριος ἀπὸ τῶν ἐπιτρόπων πριμιπιλάριος.*

[2]) nam cohors I nihil nisi cohortem primam praetoriam significare posse videtur.

[3]) omitto eum, quem supra sub numero 7, attuli, quippe cuius munera non omnia enumerentur.

accepisse videmus (5). Ex reliquis duobus alter post primipilatum nullo alio interposito munere procurator factus videtur (16), alter interposita cura extraordinaria (10). Quae omnia si respiciuntur, optimo me iure statuere puto exinde ab Vespasiani temporibus primipilares ad munera equestria nisi tribunatibus urbanis functos rarissime promotos esse. Verum ad eas militias, quibus viri ordinis equestris fungi solebant, praefecturam vel tribunatum cohortis, tribunatum legionis, praefecturam alae dico, primipilares perraro admissos esse communi titulorum silentio satis comprobatur.

Tertii denique saeculi titulos, quos undecim supra attuli, si perlustramus, etiam illis temporibus primipilares tribunatibus cohortium in urbe consistentium non functos rarissime videmus ad ampliora munera promotos. Nam octies (2, 3, 4, 5, 6, 9, 10, 11) in titulis primipilatum cura urbana subsequitur. Praeterea duo, alter cura extraordinaria (1) alter praefectura legionis (8) interpositis procuraturas acceperunt; tribunatus legionis uni (7) contigit, sed ei, quem ultimis eius aetatis, de qua agitur, decenniis vixisse constat.

Cum his observationibus alia est coniungenda. Nam cum tot omnium temporum tribunos cohortium in urbe consistentium ex ordine centurionum promotos invenerimus, mihi omnes inscriptiones pervestiganti non innotuerunt, qui primipilatu non functi tribunatus urbanos acceperint, nisi hi:

V 6478: C Gemini Prisci praef eq alae Aug praef coh I Breu[c] libero commeatu praef fabr trib mil coh II pr (primi saeculi ut videtur).

III 249: L Didio Marino v e proc Aug n provinc Arab proc Galatie . . . . trib coh I praetor.

Neque in his quidem abest suspicio non omnem cursum honorum esse laudatum, sed munera tribunatum antecedentia omissa esse. Sed utut res se habet, quanti momenti sunt duorum virorum ex ordine equestri ad tribunatum urbanum promotorum tituli pro tanta multitudine eorum, quos antea stipendia centurionica fecisse constat.

Quibus de causis equidem persuasum habeo ab initio tribunatus cohortium in urbe tendentium viris primipilaribus reservatos fuisse et rarissime accidisse, ut homines ex ordine equestri ad haec munera admitterentur. Ac prima quidem

aetate primipilares ab aliis quoque militiis non arcebantur, sed exinde a Flaviis nisi tribunatu urbano functi munera equestria non acceperunt. Illud autem centurionum privilegium etiam tertio saeculo mansisse tituli testantur.

Neque quod iam ab Augusto institutum sit, ut militiae urbanae ad primipilares deferrentur, habemus, cur miremur. Nam duabus causis ille ad hanc institutionem adductus esse mihi videtur; primum quidem, quod persuasum habebat eos homines, qui inferioribus militiis rite atque honeste perfuncti sua gratia ad ampliores promoti essent, amore et fide in se a nullo superari. Deinde si cogitabimus cohortes praetorias non solum, quae principi praesidio essent, esse creatas, sed etiam quas, cum legiones in finibus imperii tendentes hostes repellere non sufficerent, imperator ipse temporibus iniquis in hostes duceret, iam qua de causa viri spectatae virtutis summique rei militaris usus atque experientiae illis praefecti sint, apertum et manifestum est.

Quod si ponemus, non ad Karbei[1]) causas refugere cogimur, qui cum eum non fugisset primipilaribus minus officia provincialia quam urbana commissa esse et cum inter XXI tribunos cohortium urbanarum „nonnullos plerumque", qui stipendiis centurionicis functi essent, fuisse putet, eius rei nullam aliam se invenire causam fatetur nisi ut illis post longam castrorum solitudinem urbis gaudia ac delicias tandem revisendi occasio daretur.

Id, quod adhuc exposui, ex exemplis epigraphicis conclusum est; restat, ut experiamur, si scriptorum loci cum eis, quae hoc modo effecta sunt, congruant.

Ac Tacitum quidem cum Aemilium quendam primipilarem in expeditione Germanici equitibus praefuisse tradat,[2]) alio autem loco[3]) Aemilium e primipilaribus viris commemoret, ubi, ut ait Klebsius, ex contextu apparet tribunum praetorianorum significatum esse, eius rei, quam demonstrandam mihi proposui, praebuisse exemplum titulo Campano,[4]) quem supra attuli, optime comprobatur. Deinde quod in litteris Plini[5])

---

[1]) pag. 410. [2]) ann. 2,11. Confer Prosopogr. I A 209.
[3]) ann. 4, 42. [4]) X 3881; vide pag. 7 I, 2.
[5]) ep. ad Traianum 87. Prosopogr, II N. 198.

primipilarem quendam eo tempore, quo Plinius ipse tribunatu fungebatur, praefectum fuisse legimus, nihil est, quod cum Dessavio illum fuisse praefectum cohortis ponamus. Nam conicere licet eum praefectum castrorum fuisse.

Magis hisce observationibus videtur obstare, quod de imperatoris Pertinacis cursu honorum memoriae proditum est.[1]) De quo legitur in scriptoribus historiae Augustae: „per Lollianum Avitum ducendi ordinis dignitatem petit, dein praefectus cohortis in Syriam profectus, Tito Aurelio imperatore a praeside Syriae pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est.“ Unde ne Pertinacem stipendiis centurionicis honeste factis per primipilatum ad praefecturam cohortis successione promotum esse concludamus, ea re impedimur, quod factum esse non potest, ut vir, quem a. p. C. 126 septimo natum esse constat, ante annum 161 primipilatu perfunctus ad officia equestria iam successerit.

Optime autem id convenit, quod de Maximini Thracis cursu honorum traditum est.[2]) Quem stipendiis centurionicis meritis cohortibus in urbe tendentibus praefectum esse Bohnius satis accurate exposuit.

Igitur scriptorum loci eis rebus, quas supra explicavi, alii non obstant, alii comprobant.

Priusquam autem ad alias res me convertam, hoc addere liceat sententiae meae id quoque favere, quod Vespasianum, quem exclusisse primipilares a reliquis militiis equestribus conieci, ordinem militiarum equestrium novasse aliunde constat, quippe ex cuius temporibus principes peregrini, quos auxiliis ex ipsorum civitatibus conscriptis praefectos etiam Nerone imperante iuvenimus, iam non deprehendantur.[3])

3. Utrum Severo imperitante centurionatus militia equestris facta sit necne?

Postquam de processu centurionum ad militias equestres egi, iam mihi quaerendum est, nonne centurionatus ipse tertio

[1]) Script. hist. Aug. vita Pertinacis 1, 6.
[2]) Bohn über die Heimat der Prätorianer, Berl. 1883, pag. 16, adnot 5.
[3]) conf. Momms Röm. Gesch. V, pag. 130 sq.

saeculo in muneribus equestribus numeratus sit. Hirschfeld[1]) enim sub Septimio Severo centurionatum ad militias equestres adiunctum esse posuit. Cuius sententiam quamvis leviter mutatam vel moderatam Karbe[2]) compluribus verbis defendit. Contra hi viri docti an recte iudicaverint, paucis verbis addubitavit Domaszewski.[3]) Gravissimum hoc argumentum retractandum mihi proposui, praesertim cum doctissimus ille vir, qui quaestionem illam primus tractavit, hoc me admonuerit, quoniam sententia sua ipsi iam non satis certa videatur. Proficiscamur ab argumentis, quae pro illa re adhibita sunt. Hirschfeld quidem complures attulit titulos, qui sententiam suam demonstrarent, sed qui viros ordinario modo, id est per tribunatum urbanum vel per curam extraordinariam vel per praefecturam legionis ad ampliora munera promotos indicant.[4]) Deinde, quod primipilatum et praefecturam legionis saepius procurationes proxime secutas esse putat, inde centurionatum militiam equestrem fuisse cum Hirschfeldio concludere non licet. Accedit quod unum exemplum afferre possumus procurationis post primipilatum nullo alio munere interposito administratae; nam in ceteris titulis, in quibus cum primipilatu procurationem solam invenimus commemoratam, et eius muneris, quod tum, cum titulus positus est, gerebatur, et ex muneribus antea gestis primipilatus mentio facta est, non quin inter id officium et procurationem aliae curae susceptae essent, sed quod eo nomine ordo quidam, cuius ille vir etiam tum erat, significaretur. Praefectis legionis autem iam superioribus temporibus commissas esse procurationes titulo quodam Hadriani aetatis[5]) confirmatur. Non ad tantum processit Karbe, cui „duo genera centurionum statuenda videntur, alterum eorum, qui a caliga provenerant quibusque spes altioris processus quam ad primipilatum non erat, alterum eorum, qui a centurionatu orsi sunt, ut postea praefectura legionis functi procuraturae participes fierent.“ Hos equestris ordinis fuisse

[1]) Römische Verwaltungsgeschichte pag. 249 sqq.
[2]) conf. pag. 431 sqq.
[3]) Marquardt, Röm. Staatsverwaltung, editio altera, p. 367, adn. 8.
[4]) cf pag 249 adn. 3: Orelli 74 = pag 10 n. 9. 3180 = pag 10 n. 10. II 484 = pag 10, n. 1. III 1919 = pag 20. n. 8. VI 1645 = pag 20, 6.
[5]) conf pag 9, 5.

et quamvis centuriones facti essent, equites mansisse, pro certo affirmat. Ad quae demonstranda tria affert argumenta. Primum quod ordinarius illius aetatis cursus honorum: centurio, primipilus, praefectus legionis fuerit, praefectura legionis autem haud dubie pro equestri dignitate putata sit, fieri non posse statuit, „quin centurionatum equestrem fuisse honorem atque infimum quidem gradum militiarum equestrium fuisse putemus.“ Eodem iure mea quidem sententia centurionatum superiorum temporum fuisse militiam equestrem statueris. Deinde quod cum Hirschfeldio procurationes saepe ad primipilares delatas postulare contendit, ut centurionatum in militiis equestribus numeremus, id argumentum iam refutasse mihi videor. Sed tertium, quod paulo copiosius tractetur, dignum est. Dicit enim, quod in nonnullis titulis scriptum sit „a IV militiis“, necessario ad primipilatum et tres militias equestres referri. Atque re vera e quattuor militiis primam fuisse primipilatum viri docti fere omnes comprobant. Neque negare possum, si id concedimus, non dubium esse, quin primipilatus quidem pro munere equestri putandus sit. Sed mea sententia illud concedere nequimus. Repetamus enim id, quod supra demonstratum esse puto, primipilaribus ad tres militias, quibus viri ordinis equestris fungi solebant, aditum non fuisse.[1] Igitur si primipilatum primam e quattuor militiis fuisse contendimus, quin reliquas fuisse tres tribunatus cohortium in urbe tendentium existimemus, facere non possumus. Constat autem quartam militiam fuisse praefecturam alae.[2] Deinde quod titulus VI 1624 exhibet: IIII (quater) tribunus, id quod respondet significationi, quam legimus in titulo quodam Graeco: **τὸ τρίτον χιλίαρχος,**[3] tribunum dici posse in universum pro praefecto cohortis et pro praefecto alae illo exemplo satis comprobatur, ad primipilatum quoque referri illam significationem vix est credibile.

Quoniam omnia, quae pro sententia illa prolata sunt, refutasse mihi videor, etiam circumspiciendum est, possintne alia huius rei argumenta afferri.

---

1) cf. pag. 12.

2) Lebas-Waddington 2580.

3) C I G 3484 b = 3497 *ἔπαρχος εἴλης — χιλίαρχος σπείρας — ἔπαρχος σπείρας.*

Exstant autem complures saeculi tertii tituli, secundum quos centuriones ab imperatoribus equo publico exornati sunt, velut X 5064, XI 1836, VI 3558, qui tituli pertinent ad centuriones praetorianorum vel deputatos. Quodsi Domaszewski ex titulo X 5829 idem iam Hadriani temporibus factum esse conclusit, minus recte videtur iudicasse. Nam ibi agitur, ut supra exposui[1]), de centurione ex equite Romano. Sed meliore iure afferas titulum VIII 15872, quem sub Hadriano esse positum verisimile est[2]); in quo legitur: „equo publico adlecto in quinq decurias 7 leg I Adiutricis 7 leg XXX Ulpiae Victricis 7 leg X Fretensis.“ Praeterea ut tertio saeculo centuriones nonnunquam imperatorum beneficio equo publico exornatos invenimus, ita non desunt, quibus, ut vitem acciperent, anulus aureus deponendus esset. Nam illa quoque aetate centuriones ex equite Romano saepius deprehenduntur. Cuius rei testes sunt tituli

V 7865: „7 leg III Italicae ordinatus ex eq Rom ab imp. domino M Aur Antonino Aug — quem titulum Domaszewski attulit contra Hirschfeldi sententiam. — Adiungantur VIII 1647: Victori centurioni legionario ex equite Romano (cognomen solum adhibitum tertium indicat saeculum);

IX 951: M Aeli Caesoniano Dionysio pp Amastriano ex eq R; C I G 2803.

Attulerit quis denique pro Hirschfeldi sententia titulum X 2429, ex quo titulo filium centurionis cohortium praetoriarum fuisse equitem Romanum apparet. Sed innotuerunt quoque complures saeculi tertii lapides, in quibus primipilarium filios gregales militasse in legionibus enuntiatur, velut „Arch — epigr. Nachr. XVII pag. 198 n. 68. C I L VII 723.

Atque omnibus his rebus neglectis duobus gravissimis argumentis sententiam illam sequi vetari videmur, primum quod condiciones et spes ordinis centurionici ante Gallieni aetatem non auctae sunt, deinde autem, quod cum tertio saeculo mos fuerit, ut viri equestris ordinis dignitatem suam in titulis significarent litteris V(ir) E(gregius) aut E(gregiae) M(emoriae) V(ir) nomen ipsum proxime sequentibus, nullus

---

1) pag. 5.

2) confer. Prosopogr. II J 205.

centurionis neque primipili lapis hanc similemve exhibet significationem. Nam quod in titulo VI 3554 scriptum est: „M Aurel Alexander primipil et v. e.“, apertissime ex hoc lapide elucet virum illum non primipilatu sed absque primipilatu factum esse equitem Romanum.

Pars secunda.

Titulis centurionum cum in prima parte usus sim ad quaestiones quasdam tractandas de centurionum ordine et spe in ampliora munera processus, iam non utar, ex quibus efficiam, quae ad ipsum centurionatum pertineant, sed ad universi exercitus legionarii statum atque condicionem. Etenim quid edoceant tituli centurionum de ratione dilectus, quae fuerit temporibus imperatorum, perquiretur. Ac duplici modo tituli illi possunt adhiberi: primum ad augendam Mommseni[1]) materiam, qui de illa re egit omissis centurionum titulis.[2]) Saepenumero enim fieri potest, ut ex ordine, quo stipendia in singulis legionibus centurionica laudata sunt, qua in legione homo ille probatus sit, concludamus. Deinde ex titulis centurionum per se quoque adhibitis certum aliquid efficere licet. Nam qualem proportionem comparationemque inter se habuerint dilectus in singulis provinciis habiti, etiam ex numeris centurionum, qui ex singulis nationibus orti sunt, perspici posse consentaneum est.

Mommsenus cum tria discreverit, quae se ex temporum ordine excipiant, dilectus genera, quaestio mihi ita videtur instituenda, ut generibus illis respondeant singulae harum disputationum partes; sed ad illa quartum genus inde ab Severi Alexandri aetate adiungi necesse esse equidem me demonstraturum spero.

Priusquam autem ad rem ipsam accedam, praemittendum est me fines titulorum centurionum egredi non veritum saepius militum quoque lapides, qua materia usus est Mommsenus, adhibuisse, si quando ex his quoque aliquid non inutile mihi

[1]) Hermes 19. pag. 1 sqq. Ephem. ep. V 160 sqq.

[2]) Eph. ep. V 161: „haec similiaque de centurionum origine et promotione ut non inutile erit colligere et comparare, nostra tota turbarent sine discrimine admissa“.

videbatur posse effici et quaestio quaedam a viris doctis in controversiam vocata me alliciebat ad meam sententiam proferendam.

1. De ratione dilectus, quae fuerit inde ab Augusti aetate usque ad Vespasianum.

Mommsenus, ut statueret legionibus in Oriente tendentibus maximam partem militum praebitam esse a provinciis orientalibus, ut scriptorum locos omittamus, imprimis videtur adductus esse laterculo Coptitano.[1]) Deinde magni opinor esse momenti putavit, quod in legionibus in Dalmatia, quae est finis inter Orientem et Occidentem, consistentibus dimidiam fere partem militum ex Oriente videret oriundos. Contra Seeckius[2]) ante Flaviorum tempora in omnibus legionibus longe maximam partem militum fuisse natione Italos posuit. Atque id primum demonstrare conatus est, cum titulos militum, in quibus natio singulorum laudatur, colligeret, ex qua collectione efficeretur, omnium militum legionariorum quinque partes ex Italia et Gallia Narbonensi conscriptas esse.

Sed quia ex militibus 155, quos attulit Seeckius, unus in legione orientali militavit, illa collectione ne minimum quidem in nostra re demonstrari videtur.

Deinde quod in legionibus Aegypti milites fere omnes, Dalmatiae non pauci ex Oriente oriundi sunt, vir doctus ille ad id decucurrit, ut milites, quos in Oriente natos esse constat, iam ab Antonio esse conscriptos contenderet; cuius copias post pugnam Actiacam ad Augustum transfugisse et ab eo in ipsius legiones translatas esse.

Quod ut refellam, iam me converto ad laterculum Coptitanum. Eum laterculum quod Mommsenus[3]) putat assignandum esse Augusti vel Tiberii aetati, non obstat Seeckii sententiae; sed fugit virum illum doctissimum argumentum quoddam, quod eius quidem sententiam comprobat, Seeckii non admittit. Nam duobus militibus[4]), quorum alter ex altera

[1]) III 6627.

[2]) Rhein. Mus. 48 pag. 603 sqq.

[3]) Eph. ep. V, pag. 8 sq.

[4]) III 6627 I, 9 et II, 20.

legione est, nomen est: „M. Lollius M. f. Pol Ancyra“. Marcum Lollium[1]) autem Galatiam in formam provinciae redegisse et primum legatum eius pro praetore fuisse constat. Quo praetore illos milites conscriptos et eius ex nomine appellatos esse ea de causa est verisimillimum, quod, ut Mommseni utar verbis[2]), „nullus eorum habet patrem diverso praenomine, id quod praesertim in titulis eius aetatis, qua praenominum usus adhuc plene vigebat, indicat patres ficticios esse et una cum tribu et civitate assumptos“. Ex illis militibus igitur duo quidem natione Galatae sub Augusto conscripti sunt. Deinde nonne si Seeckii sententiam sequeremur, cogeremur efficere Augustum copias Antonii dediticias praesidio reliquisse ei provinciae, ubi sedes belli fuerat.

Neque, quod disputavit Seeckius de legionibus in Dalmatia tendentibus, maiorem praebet speciem probabilitatis. Statuit enim post pugnam Actiacam, cum copiae Antonii ad Octavianum transfugissent, partem earum translatam esse in illas legiones, quippe quae proximae essent eis locis, ubi pugnatum erat. Id perspici posse vel ex forma inscriptionum primae aetatis imperatorum propria. Qua in observatione cum verum aliquid inesse non possit negari, hanc rem accuratius cognoscamus necesse est.

Legionum Dalmaticarum tituli 48 exsistunt[3]), in quibus patriae militum laudantur. Ex his in 14 titulis legioni cognomen est Claudiae piae fideli; lapides 26 cognomine abstinent, in 13 res in dubio est[4]). Ex titulis 26, quos ante annum p. C. 42 positos esse cognoscitur ex ea re, quod legionis cognomen non laudatur, 12 positi sunt hominibus ex Italia, 8 ex Asia

---

[1]) Prosop. II pag. 295, L 226, Marquardt Röm. Staatsverw. I pag. 361.

[2]) Eph. ep. V pag. 14.

[3]) conf. C I L III pag. 281 et pag. 1475; addas III 6413, 16, 17, 18, 19, III 13 263

[4]) Si aetatis anteclaudianae lapides diligenter discernis a titulis sub Claudio et Nerone positis, hoc quoque mihi videtur apparere: Lapides legionis septimae, ut omittamus disperse in omnibus provinciae partibus positos, aut Delminii aut Salonis reperti sunt. Ex quibus tituli 12 Delminii, 4 Salonis reperti cognomine legionis abstinent, unus Delminii, 9 Salonis reperti utuntur. Quodsi Hirschfeldius posuit legionem illam Delminii habuisse castra stativa, Salonis vexillationes tetendisse, fortasse ad id procedere licet, ut eam sub Claudio totam putemus Salonas translatam esse.

5 ex Macedonia oriundis, 1 homini, cuius ubi sita fuerit patria, non satis constat[1]).

Contra ex hominibus 14, quorum titulos Claudi et Neronis temporibus positos indicat cognomen legionis, 8 natione sunt Itali, 2 Galli, 2 Hispani, 2 ex Asia oriundi sunt.

Apparet igitur homines ex oriente ortos inde ab Claudi aetate perpaucos meruisse in legionibus Dalmatiae. Nihilo setius fieri non potest, ut iam ab Antonio eos conscriptos esse coniciamus, cum praesertim duo certe sub Claudio militaverint. Deinde parum est credibile eorum titulorum, qui si Seeckium sequimur, intra septuaginta annos positi sunt, maiorem partem primo et secundo huius spatii decenniis esse assignandam. Neque credibile est, dum erat Illyricum provincia senatoria — erat autem usque ad annum 743/11 — in Dalmatia duas tetendisse legiones; illo autem anno plurimos milites, qui ex Asia et Macedonia oriundi erant, nondum vixisse ex stipendiis eorum facile cognoscitur.

Videmus igitur legiones in Dalmatia tendentes ante Claudium partim ex Oriente, partim ex Italia supplementa arcessivisse, sed ita, ut numerus Italorum aliquanto auctus sit, id quod imprimis titulis legionis undecimae in Germania superiore, quo ex Dalmatia translata est, repertis comprobatur.

Haec habebam, quae de dilectu legionum Dalmaticarum disputarem. Unde alias quoque legiones ex Claudi temporibus plus quam antea arcessivisse ex Italia supplementorum adeo non concludendum puto, ut ea de causa numerum Italorum in illis legionibus auctum esse mihi persuaserim, quod in reliquis legionibus minutus sit. Nam complures et gravissimae res observari possunt, quibus, ut Italia minus quam antea conferret ad dilectum legionarium, efficeretur. Ac primum quidem id demonstrare conabor, cum dilectus ante Flaviorum aetatem et in Italia et in Gallia Narbonensi habitos inter se comparem.

Priusquam autem ad ipsam rem accedam, aliquid in universum observetur necesse est. In titulis legionum Dalmaticarum, qui tituli aetatis anteclaudianae sunt, ab eis, qui sub Claudio et Nerone positi sunt, satis accurate discernere

---

[1]) Vol (tinia) Clistinna.

possumus. Qua in re id quoque commemoratione dignum videtur, quod inter 32 milites, quorum in lapidibus legiones cognomine carent, duo ipsi cognominibus utuntur, contra ex 26, quorum in titulis legionis cognomen laudatum invenimus, duo cognominibus abstinent. Atque ut ostendam eam non esse legionum in Dalmatia tendentium proprietatem, hoc quidem addere satis habeo:

1. ex militibus 5 legionis XX [1]), antequam traducta est in Britanniam, unus cognomine utitur;

ex militibus 22 legionis XIV Geminae [2]), quorum tituli, priusquam legio illa in Britanniam translata est, in Germania positi sunt, 18 non habent cognomina.

2. ex militibus 19 [3]), qui ante Vespasianum [4]) stipendia fecerunt in legionibus XV et XXII Primigeniis Claudio imperante, ut videtur, creatis unus cognomine caret et ex 25 militibus legionis IV Macedonicae [5]), quorum tituli reperti sunt Moguntiaci, ubi legio illa tendebat a primis Claudi temporibus usque ad a. p. C. 70, duo abstinent cognominibus. Huius rei nullam aliam inveni causam nisi hanc: Ex laterculo Coptitano, in quo, cum magna pars centurionum cognominibus utatur, omnium militum cognomina desiderantur, evidenter apparet Augusto principe in laterculis militum cognomina nondum adscribi solita esse; nam omnes cognominibus non usos esse parum est credibile. Quo modo factum est, ut etiam in titulis privatis militum cognomina quasi non legitima fere numquam adscriberentur. Sed cum permulti ab eodem viro, imprimis ab imperatore, civitate donarentur essetque mos, ut non solum nomen gentilicium, sed etiam praenomen eius, cuius beneficio donati erant, adsumerent, ex ea nominum ratione non paucas ortas esse difficultates erroresque nemo est, quin intellegat. Itaque sub Claudio edictum

---

[1]) Eph. ep. V pag. 225.

[2]) Eph. ep. V pag. 223.

[3]) Eph. ep. V pag. 226 et 229 sq.

[4]) Facile discreveris legionis XXII titulos ante annum 70 positos, quo anno legio illa in Pannoniam translata est, ab eis, qui post annum 88 positi sunt, quo anno rediit in Germaniam, cum hi quidem lapides cognomen legionis „pia fidelis“ laudare soleant.

[5]) Eph. ep. V pag. 212 sq.

videtur, ut militum in laterculis, codicillis, aliis libellis publicis cognomina quoque adscriberentur, id quod milites in titulis privatis statim imitatos esse consentaneum est. Quibus de causis non sine aliqua specie veritatis vel probabilitatis ponere me puto titulos militum cognominibus carentes siminus singulos, attamen in universum aevo anteclaudiano, utentes aevo Claudiano et Neroniano assignandos esse.

Hac igitur ratione colligam atque discernam Italorum et Gallorum titulos aetatis Juliorum et Claudiorum, cuius collectionis fundamenta, ut ita dicam, posita sunt in Mommseni indicibus militum, ad quos nonnullos titulos, qui postea reperti sunt, adiunxi [1]):

	Itali		Galli	
	sine cognominibus	cum cognominibus	sine cognominibus	cum cognominibus
a) in legionibus, quae a Vespasiano exauctoratae sunt				
I Germ			2	2
IV Maced	1	7	1	8
XV Primig	—	2	—	—
XVI Gallica	7	1	2	—
V Claudia	1	—	—	—
b) quorum tituli in provinciis reperti sunt a legionibus ante Vespasianum relictis				
II Aug [2])	1	—	—	—
XX Victr [2])	4	1	—	—
VII Claudia [3])	7	5	—	—
XI Claudia [3])	5	4	—	2
XIV Gem [4])	15 [5])	4	2	1
XXII Prim [6])	1	9	—	5

---

[1]) confer ad hanc tabulam Eph. ep. V pag. 200 sqq.

[2]) antequam traductae sunt in Britanniam.

[3]) ex castris Dalmaticis.

[4]) antequam traducta est in Britanniam; titulos a postea in Germania positis facile discreveris. cum hi cognomen legionis „Martia victrix“, qua in Britannia honorata est, laudent.

[5]) „Acele“ rettuli cum Kubitscheckio. imp. R. tributim discriptum pag. 105 ad Acelum Galliae cisalpinae.

[6]) respexi titulos in Germania repertos, in quibus cognomen „p. f.“ desideratur.

	Itali sine	Itali cum	Galli sine	Galli cum
	cognominibus		cognominibus	
VIII Aug[1])	1	1	—	—
XV Apol[2])	5[3])	1	—	2
XIII Gem[4])	2	1	—	1

c) quorum ex titulis nonnulli fortasse Flaviis imperantibus positi sunt:

XXI Rapax	1	3	2	—
X Gem[5])	1	2	—	1
VI Victr	1	—	—	1[6])
III Aug	2	—	—	2[7])
IX Hisp	2	—	—	—
XII Fulm	1	—	—	—

Ita invenimus homines 58 ex Italia oriundos cognominibus abstinentes, 41 utentes, milites ex Gallia Narbonensi ortos 9 cognominibus abstinentes, 25 utentes.

Ex his numeris primum elucet Galliam Narbonensem ex Claudi temporibus aliquanto plus quam antea ad dilectum legionarium contulisse; qua ex re mea quidem sententia colligamus necesse est Italorum numerum in legionibus deminutum esse; nam cum ex numeris inter se comparatis sub Claudio et Nerone hominum ex Gallia Narbonensi oriundorum numerum fere triplicem quam Iuliorum aetate militavisse cognoscatur, factum esse non potest, quin Italorum, qui primis quidem temporibus fere soli ad supplendas illas legiones conscribebantur, minor numerus in eis mereret.

---

1) respexi titulos in Pannonia repertos

2) respexi titulos, quos Bormannus (Arch. ep. Nachr. XVIII pag. 210 sqq.) ante annum 73 positos esse coniecit.

3) conf. Jahresb. des arch. Inst. in Wien 1899 Beibl. pag. 74; tribus Tromentina hominem ex Italia oriundum indicare videtur.

4) Titulos respexi in Germania et Pannonia repertos

5) titulos respexi in Hispania et in Germania repertos cognomine legionis „p. f." non utentes.

6) militavit postea centurio in legione XI Cl. p. f.

7) Thevestae cum tres hominum ex Gallia Narbonensi oriundorum tituli reperti sint, legio autem sub Traiano supplementa arcessivisse ex Oriente (Herm 19 pag. 8) constet, hoc loco duos adhibui.

Sed haec hactenus. Iam videamus, unde supplementa legionum in Hispania tendentium petita sint.

Legio IV Macedonica primis Claudi temporibus[1]) ex Hispania in Germaniam superiorem translata, usque ad id tempus, quo exauctorata est a Vespasiano, Moguntiaci consistebat. Cuius legionis inter milites 25[2]), quorum lapides ibi reperti sunt, quattuor e Baetica oriundi sunt. Hi meruerunt stipendia: septemdecim, duodeviginti, viginti duo, viginti quinque, contra militum e Gallia Narbonensi oriundorum, qui in illa legione probati sunt, stipendia inveniuntur: duo, quattuor, sex, sex, octo, novem, decem, decem; Italorum quinque, decem, undecim, viginti, viginti quinque; Noricorum denique, quos, cum Claudia Viruni nati sint, ante Claudium non conscriptos esse constat, quattuor et quinque. Sed quo spectat haec stipendiorum enumeratio? Legionis illius vexilla Vitellium secuta esse ad bellum Othonianum[3]), idque robur militum, Tacitus auctor est. Deinde memoriae proditum est alteram partem contra Civilem pugnavisse[4]). Neque cum Moguntiacum a Chattis, Usipis, Mattiacis obsideretur, qui non prius quam oppidanis subventum est, ut Taciti utar verbis, „satietate praedae nec incruenti" discesserunt, quin oppido defendendo quartani, qui quidem castris praesidio relicti essent, non defuerint, dubium esse videtur. Cum autem eius legionis tot milites florentissima vitae aetate paucis stipendiis perfunctos videamus mortuos esse, eos cecidisse in hac pugna non sine specie probabilitatis statuerim. Quae si recte disputata sunt, sequitur, ut postremis legionis temporibus supplementa praecipue dilecta sint ex Gallia Narbonensi, Norico, Italia. Sed quoquo modo res se habet, Hispani sine dubio in veterrimis legionis militibus numerandi sunt meque extra dubitationem contendere puto illos iam eis temporibus conscriptos esse, quibus legio in Hispania tendebat, praesertim cum homines illi plus minusve viginti stipendia meruerint neque omnes militum tituli ex-

---

1) cf. Marqu. Röm. Staatsverw. II (editio altera) pag. 446 adn. 9, Pfitzner, die röm. Kaiserlegionen, pag. 231.

2) Eph. ep. V pag. 212 sq.

3) Tac. hist. 3, 22.

4) Tac. hist. 4, 37.

tremis legionis illius temporibus adsignari possint, sed distribuendi sint in spatium annorum maxime triginta.

Praeterea ex duobus militibus legionis X Geminae[1]), cuius castra stativa aetate Iuliorum et Claudiorum in Hispania erant, alter, qui, cum neque ipsius neque legionis cognomen laudetur, ante Claudium videtur militasse, natione Italus, alter, in cuius titulo utrumque laudatur cognomen, natione Hispanus est. In eadem legione, postquam in Germaniam inferiorem translata est, ubi tendebat ab anno septuagesimo usque ad Traiani aetatem, militavit homo ex Hispania oriundus[2]) quem cum stipendia 18 meruerit et ante annum 89[3]) mortuus sit, in Hispania tironem factum esse verisimillimum est. Atque idem conieceris de M Val Celerino Papiria Astigi civi Agrippine[nsi] veter[ano] leg X G[eminae] p f[4]) Nam cum parum sit credibile veteranum illum Coloniam deductum esse legione X Gemina ex Germania in Pannoniam translata, quamvis titulus post annum 88 positus sit, tamen, si Celerinum stipendia 25 meruisse ponimus, temporis spatium satis magnum relinquitur, ut illum, priusquam legio ex Hispania discessit, conscriptum esse putemus.

Ita videmus legiones in Hispania tendentes si minus Iuliis, attamen Claudiis imperantibus bona ex parte suppletas esse ex ipsa Hispania.

Deinde huc est referendum, quod Tacitus de patriis Vitellianorum memoriae prodidit; quam rem, infra mihi tractandam, hoc loco praetereo.

Iam venio ad legiones in Oriente tendentes. De quibus cum testimonia epigraphica sint rara atque exigua, eo maioris opinor momenti est, quod duo legionis III Cyrenaicae milites, qui sub finem eius aetatis, de qua agitur, meruerunt, ex Oriente oriundi sunt. Alter enim[5]), qui anno p. C. 58 tiro factus est, Damasci natus est, alter[6]), quem circiter anno 80 militasse constat, Ptolemaide.

---

[1]) conf. Eph. ep. V pag. 221.
[2]) Bramb. 117.
[3]) Desideratur cognomen legionis „p. f."
[4]) Coloniae inventus Westd. Corresp. 14 p. 90.
[5]) III 6603.
[6]) III 6599: militavit eodem centurione quo alter.

Contra de legionibus Syriacis cum testimonia epigraphica non exstent, ad rerum scriptores refugere cogimur. Josephus[1]) enim in narranda oppugnatione Gamalae centurionis cuiusdam cum decem militibus mentionem fecit, de quibus addit: „ἦν δὲ αὐτὸς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Σύροι". Ex hoc loco in legionibus Syriae meruisse Syros permultos concludere possumus, dummodo satis constet centurionem illum et milites eius in legione militasse. Sed negari nequit eodem iure eum centurionem cohortis putari posse. Deinde Taciti quoque locus huc referendus videtur. Qui cum in descriptione pugnae ad Betriacum commissae narraverit[2]): „orientem solem (ita in Syria mos est) tertiani salutavere", ex hoc loco non solum cum Mommseno[3]) efficere licet legionem tertiam Gallicam „moribus Orientis ita imbutam" iam diu in Syria tetendisse, sed etiam antiquitus numerum Syrorum non parvum in ea militavisse; nam aliter mores Syriacos in ea ita viguisse intellegi non potest.

Quomodo postquam non parva rationis eius, qua posteris temporibus dilectus institui solebant, principia observavimus, agedum contemplemur aliam rem, qua re non minus effectum esse puto, ut Italia magis quam antea eximeretur de dilectibus legionariis. A Claudio enim civitates nonnullae iure coloniae aut municipii donatae sunt; in eis Claudia Ara, Savaria, Camulodunum Britanniae. Quae oppida quamquam circiter viginti annis ante Vespasiani principatum civitatem Romanam impetraverunt, tamen exstant nonnulli aetatis anteflavianae tituli militum illinc oriundorum; innotuerunt autem mihi hi:

III 4465: miles legionis XV Apollinaris Claudia Ara, Bramb. 1157 et 2058: duo milites legionis IV Macedonicae Claudia Viruno, Bramb. 1174 miles leg XIV Geminae Claudia Viruno[4]) Archäol- epigr. Mitt. 18 pag. 216: miles legionis XV Apollinaris Claudia Camuloduno.

Haec mihi ex militum titulis petita de ratione dilectus, quae fuerit primo imperatorum Romanorum saeculo, addenda

---

[1]) bell. Iudaicum 4, 38.
[2]) hist. 3, 24.
[3]) res gestae Augusti pag. 69.
[4]) Cuius in titulo cum cognomen legionis „Martia Victrix" non legatur, ipse autem stipendia XV meruerit, sine dubio sub Claudio conscriptus est.

videbantur. Iam quae copiosius exposui, paucis verbis comprehendam:

Id quod Mommsenus posuit de supplementis legionum in Occidente tendentium, ut refutaret, Seeckio non contigit. Nam primum videbamus duas legiones, quarum castra in Aegypto erant, Augusto principe fere totas ex Oriente conscriptas. Deinde legiones in Dalmatia tendentes, quae provincia antiquitus Orientem dividit ab Occidente, bona ex parte suppletas esse dilectibus in Oriente habitis demonstratum est, qua ex re homines ex Oriente oriundos in ipsius Orientis legionibus etiam plures militavisse magna cum specie probabilitatis concluseris. Sub finem denique aetatis, de qua agitur, et in Syriae et in Aegypti legionibus non paucos milites ex Oriente lectos stipendia fecisse et tituli et scriptorum loci testantur. Accedit, quod ea, quae Tacitus memoriae prodidit de dilectibus singulis, optime congruunt cum Mommseni sententia.[1])

Praeterea complures res observavimus, quibus Italia magis atque magis eximeretur de dilectu legionario. Primum exempli gratia demonstratum est, quam brevi tempore numerus militum ex Gallia oriundorum auctus sit; deinde rationem illam dilectus postea usitatam, qua legiones ex ipsis, ubi tendebant, provinciis supplerentur, iam viguisse in Hispania explicatum est. Neque id quidem nos fugit, quam celeriter in aliis quoque provinciis dilectus legionarius secutus sit propagationem civitatis Romanae.

Restat, ut quaeramus, num ea, quae hoc modo effecta sunt, centurionum titulis comprobari videantur.

Longe maiorem partem centurionum, quos in lapidibus aetatis anteflavianae deprehendimus, ex Italia oriundos esse nemo est, quin miretur. Nam ut ad tempus omittamus titulos in Italia positos, in provinciis tituli centurionum natione Italorum inventi sunt hi: III 217, III 2914[2]), III 2678, III 2817, III 2834, III 4060, III 11213 (?), Eph. ep. VII 903 (?)[3])

Secundum Italiam Galliam Narbonensem non parva praebuisse legionibus supplementa ea re comprobatur, quod duo

[1]) Herm. 19 pag. 6 sq. Seeckii interpretatio probabilis non videtur.
[2]) conf. V 113.
[3]) conf. Domaszewskii observationem Rhein. Mus. 48 pag. 344.

quidem tituli centurionum, quos illa genuit provincia, innotuerunt.

XII 2234: Sex Samnius Volt Severus ⁊ leg prim Germanic — — — ⁊ factus Antistio Vetere II M Suillio Nerullino cos (= a. p. C. 50).

III 2035: M Jul M f Vol Paternus Aquis Sextiis mil leg VI victric, ⁊ leg VIII Aug ⁊ leg XIIII G M V ⁊ leg XI C p f.

Deinde quod statui legiones in Hispania tendentes iam primo saeculo ex ipsa Hispania suppletas esse, confirmatur hoc titulo: II 1681: C Julius L f Ser Scaena decurio eq centurio hastatus primus leg IIII. Tuccis, cui respondet Sergia tribus.

Huebnerus cum explicaverit: decurio equitum legionariorum, recte iudicasse videtur. Nam illum decurionem militavisse in auxiliis statuere vetamur, quod iam patrem eius civitate Romana usum indicant praenomina diversa. Atque id quoque verisimile est eum in ea legione, in qua centurio factus est, probatum esse, cum legio, in qua fuit decurio equitum, non laudetur. Hominem igitur ex Hispania oriundum tironem factum esse in legione Hispanica verisimile est.

Venio nunc ad legiones in Oriente tendentes. Si ea, quae de dilectu harum legionum statuit Mommsenus et ego defendere conatus sum, recte sunt disputata, factum esse non potest, quin homines ex Oriente orti non pauci ordines duxerint. Atque unius quidem centurionis illinc oriundi titulus repertus est:

III 6809: Anicius P. f. Ser Maximus — — — pp leg XII fulm praef castror leg II Aug in Britannia — — — donatus ob expeditionem (scilicet Claudi Britannicam). Antiochiae Pisidiae, cui respondet tribus.

Deinde mihi quidem haud dubium videtur, quin is, qui posuit titulum III 48: . . . „piae matri |C Terentius| Verecundus ⁊ leg XXI|“ natione Syrus fuerit. Nam cum titulus repertus sit Heliupoli, ubi neque legio tendebat neque vexillationes nisi legionum Syriacarum constitisse verisimile est, ibi domus illius centurionis fuisse videtur. Ad quos si adiungimus centurionem eum, quem Syrum fuisse Josephus narrat, si modo fuit centurio legionarius, cui rei id quoque favet, quod cognomen latinum eum civem Romanum fuisse indicat, tres

habemus centuriones ex Oriente oriundos. Quos omnes, cum in Orientis legionibus centurionatibus functi sint[1]), in his quoque probatos esse verisimile est.

Quocum optime convenit, quod ex titulis centurionum natione Italorum in patria illorum repertis colligere licet, qui tituli circiter 40 innotuerunt. Eorum cum plures ordines inferiores silentio praetereant, tamen 17 centurionum, qui centurionatibus 22 functi sunt, lapides exstant. Ex his unus, Augusti aetatis, ut videtur[2]), in legione, quae tendebat in Oriente, meruit. E primipilaribus quoque unus in legione orientali militavit[3]), qui Augusti et Tiberi temporibus stipendia fecit.

Itaque quod in legionibus, quae castra habebant in Oriente, cum centuriones nonnullos ex ipso Oriente ortos deprehendimus tum homines natione Italos longe pauciores quam in Occidente centurionatibus functos videmus, id forte accidisse non potest, sed statuendum est in legionibus, quae consistebant in Oriente, homines ex Oriente oriundos obtinuisse maiorem centurionatuum partem. Quanto plus autem inter milites ipsos iuventus orientalis praevaluerit!

Ad cognoscendam dilectus rationem, quae fuerit primo imperatorum Romanorum saeculo, cum centurionum titulis, nisi

[1]) nam in titulo III 480 sine dubio legendum est 7 leg XXII, praesertim cum numerus ille versum claudat.

[2]) Is est X 3734: M. Verrius M. f. Fal Celsus 7 leg III Cyrenaicae. Duhnius, qui titulum descripsit, adnotavit: „litteris pulcherrimis saeculi primi". Patri centurionis illius nomen est: M. Verrius M. l. Abascantus, fratri M. Verrius M. f. Fal Flaccus. Hunc virum cum Hermannus Dessau (Prosop. III pag. 405, V 287) diversum putet a Verrio Flacco, grammatico illo clarissimo, quod is appelletur a Suetonio, „libertinus", id argumentum mihi non satis probatur. Quid? quod ponere licet Verrium Flaccum natum esse eo tempore, quo pater nondum manumissus erat, ita ut Suetonius eum libertinum appellare potuerit quasi in servitute natum, sed ipse se Marci filium vocare, cum pater tum, cum titulus positus est, libertus esset. Qua de causa equidem persuasum habeo fratrem centurionis illius non diversum esse a grammatico clarissimo, nisi forte hunc avunculum M. Verri M. f. Fal Flacci fuisse statuis. Nam eodem fere tempore duos vixisse Verrios Flaccos, quorum uterque libertinus erat, nulla necessitudine inter se coniunctos parum est credibile.

[3]) XI 3801. Ad tempus circumscribendum confer. XI 3805, vers. 21.

subsidii causa, ut ita dicam, usi non simus, reliquorum temporum tituli satis multi exstant, ex quibus per se ipsis adhibitis certi aliquid efficiamus. Itaque priusquam transeam ad id, quod ex Vespasiani temporibus usque ad Hadriani aetatem viguisse Mommsenus statuit, dilectus genus, titulos centurionibus vel a centurionibus positos colligam, in quibus patrias illorum notatas invenimus. Quae collectio ita disponatur necesse est, ut et qua natione fuerint centuriones, et quo tempore vixerint, et ubi tituli eorum positi sint, respiciatur. Neque enim id quoque, ubi positi sint tituli, neglegi potest.

Namque tituli nisi extra patriam positi inter se comparari non possunt, qui tituli, cum centuriones, undecumque oriundi erant, per omnes provincias transferri solerent, paribus utuntur condicionibus. Sed haec quoque discribendi ratio leviter moderanda est. Namque, ut infra demonstrabitur, ratione dilectus eis locis, ubi tendebant legiones, habendi instituta magna pars centurionum illinc oriunda erat, ubi castra erant legionis, in qua militabant. Quorum centuriorum, si in eis legionibus stipendia fecerunt, quarum multae inscriptiones in lucem prolatae sunt, longe plures titulos repertos esse apertum est quam si in eis castris meruerunt, ex quibus pauca exstant testimonia epigraphica. Quibus de causis mihi condiciones non aequae videntur, nisi disiungemus titulos, qui in eis provinciis reperti sunt, unde orti sunt centuriones, ab eis, qui alicubi reperti sunt.

I. Italia.

a) tituli extra Italiam reperti:

1. III 10979: L Albucius Claud Albucianus Miseno 7 leg I Ad p f (sub Domitiano)[1]) — Brigetione
2. III 1480: Sex Pilonius Sex f Ste Modestus Benevento 7 leg IIII F f III hast post — — ex equite Romano militavit in leg VII C p f et VIII Aug XI C p f I Miner p f (sub Traiano)[2]) — Sarmizegethusae

[1]) Is centurio quin ex classiariis provenerit, ex quibus legionem illam conscriptam constat, non dubium est. praesertim cum pater non laudetur. Qua de causa neque aetati recentiori assignari potest et domus ficticia esse videtur.

[2]) Titulum, quem post annum p. C. 88 positum cognomen legionis I Minerviae indicat, si aetate Hadriani aut Aureliorum attribueremus, efficeretur, illum centurionem ex legione Moesica in Germanicam, ex Germanica in Moesicam, deinde iterum ex Moesica in Germanicam et ex Germanica in

3. Bramb. 336: A Titius Pom Severus Arretio 7 leg VI Vic p f (sub Traiano)[1] Coloniae
4. III 7334: . . . . us D f. . Octavius Secundus Curibus Sab — — — — ev(ocatus) Aug [7] leg X Fretensis donis don ab divo Hadrian — — — promotus success(ione) in leg primam Italic primipil leg eiusdem Serrhis
5. III 1092: L Calvisius L f Velina Secundus Falerione pp leg XIII G (pro salute M Aureli Commodi Antonini Aug) Apuli
6. III 6223: M Maesius Geminus Bononia pp leg I Ital (Mam et Rufo cos = a. 182) „incerta Moesiae inferioris"
7. VII 100, 1: P Saltienus P f Maecia Thalamus Hadria praef leg II Aug (pro salute Augg nn Severi et Antonini) Iscae
8. XIII 1893: Ti Cl Fab Rom Felix 7 leg III Cyr Antoninianae
9. ibidem: Sertorius Fortunatus 7 leg III Cyr Antoninianae (filia eius M Sertoria Festa Fab Rom) Lugduni
10. VII 1348: . . Terentius . . f Ouf Firmus Saena praef castr leg VI V p f „Hexham"
11. III 7534 Q Trebellius Q f Fab Maximus Roma 7 leg V Mac trecenarius coh III pr[2]) Tomis
12. III 6195: Tib Veturius Tib fil Aemilia Mauretanus Fundis praefectus castrorum leg V Mac Tomis
13. III 102: M Julius M f Sab Maximus Mantua 7 leg III Cyr coh V pr pos[3]) Bostrae
14. III 4351: M Fuficius M fil Vel Marcellus [7] leg I Adi p f Brigetione
15. VIII 2628: P. Seius P f Arn Rufus Teate Marrucinorum praef leg III Aug Lambaesi
16. V 6881: L Paccius L f Pal Nonianus Fundis 7 leg VI Victricis p f „Alpis Poenina"
17. III 11129: Atilius Primus 7 leg XIIII G ex evocato leg X G p f — — domo Sergia Marsis Carnunti

Moesicam translatum esse; quo modo centuriones Romanos nunquam translatos esse infra demonstrabitur. Qua de causa facere non possumus, quin titulum illum ei tempori assignemus, quo legio XI Claudia in Germania superiore tendebat, ita ut centurionem illum probatum putemus in legione VII Claudia, deinde militasse in tribus legionibus Germanicis, in bello contra Decebalum gesto denique, cui intererant et legio I Minervia et legio IV Flavia, translatum esse ex legione I Minervia in legionem IV Flaviam.

[1]) titulus neque ante annum 88 positus est, ut indicat cognomen legionis VI Victricis, neque post annum 120, quo circiter anno legio illa translata est in Britanniam.

[2]) titulus aetatem Severi superat, quo imperante legio V Macedonica in Daciam translata est.

[3]) titulus recentior est anno 108, quo anno legio illa ex Aegypto translata est in Arabiam.

18. VIII 3007: . . . Pollentia . . 7 l]eg III Aug . . . leg XIIII Gem[1]) Lambaesi
19. VIII 2801: Alfius Blasius 7 leg III Aug — — — — condecurio ex Campania (tertii saeculi) Lambaesi.

b) in Italia reperti[2]):

1. V 522 L Arnius L f Pup Bassus mil leg XV Apol coh I pr 7 coh II C R 7 leg XIIII Ge 7 leg II Aug 7 leg VI Vic (sub Flaviis) Tergesti, cui respondet tribus
2. V 534 Q Petronius C f Pu(p) Modestus pp bis leg XII Fulm et leg I Adiutric — — — pr[oc] divi Nervae Tergesti
3. XIV 2287: L Acconius Statura 7 leg XI C p f donis don ab imp Traiano — — — et a priorib principibus Tiferni Mataur.
4. Bullet. 1845 p 132: C Caesius C f Ouf Silvester benef pr pr evoc Aug 7 leg II Aug leg IIII F f leg III Gall leg VI Ferr leg XXX U V pp praef castrorum leg IIII F f [d]onis donatus bello Dacico Tufici
5. X 1202: N Marcius N f Gal Plaetorius Celer — — — 7 leg VII Gemin 7 leg XVI Fl firm donis donatus a divo Traian bello Parthic — — — 7 leg II (sic) Gall 7 leg XIIII Gem Mart Victr 7 leg VII Cl p f 7 leg I Adi pf pp leg eiusd Abellae
6. X 3733: C Nummius C fil Fal Constans pp leg II Traianae centurio II leg III Cyrenaicae et VII Cla evocatus in foro ab actis miles coh III praet et X urb donis donatus ab imp Traiano — — item ab imp Hadriano — — — Atellae
7. XI 3801: Q Albius Q f Hor Felix 7 leg XX V V cornicularius pr pr donis donatus ab divo Traiano Aug — — — et ab imp Caesare Traiano Hadriano Aug Faleriis
8. XI 6771: C Arrius C f Corn Clemens mil coh IX pr — — donis donatus ab imp Traiano — — — evocatus Aug 7 coh I vigil 7 statorum 7 coh XIIII urb 7 coh VII pr trecenarius donis donatus ab imp Hadriano — — 7 leg III Aug primipilaris Matilicae
9. IX 5839, 5840: C Oppius C f Vel Bassus — — — pp — — 7 leg IIII Fl fir et leg II Tr for evoc Aug ab actis fori — — (centurio leg IIII Fl a. 137) Auximi
10. V 8660: T. Derticius T f Cla Severus pp leg X Gem — — — proc Raetiae (sub Pio)[3]) Concordiae

[1]) Is quin centurio fuerit, haud dubium est, cum rarissime acciderit, ut gregales transferrentur in alias legiones.

[2]) Omisi eos centuriones, qui in legionibus non militaverunt, et eos, qui in qua legione militaverint, tituli non enuntiant.

[3]) Is cum procurator Raetiae fuerit a. 166 (conf. eph. ep. II pag. 462) stipendiis inferioribus functus est sub Pio.

11. Orelli 3445: C Cestius C f Stel Sabinus trib coh XIII urb pp leg I Adiutricis p f 7 leg VIII Aug ex trecenario 7 coh VIIII pr 7 coh VIII urb 7 leg II Adiutric piae fid et leg VI (sic) Claud p f donis donatus ab imp Antonino Aug[1]) Urbini
12. Wilmanns 692 et 692a: Sex Aetrius S[ex f] Ouf Ferox centurio leg II Traianae fortis — — — ex cornicul praef vig (sub Pio) Tufici
13. VI 414: M Caecilius M f Jul Rufus Concord 7 leg III Cyr ex cornicular Aelii Juliani praef vig (a. 191) Romae
14. IX 4686: L Oranius L fil Quir Justus pp praef castror leg III Cyr (a. 184) Reate
15. IX 1582, 3 (X 1127 cf. VI 1056): Cn Marcius Cn filius Stel Rustius Rufinus — — praepositus an[nonae imp L Septimi] Severi Pii Pertinacis — — — ex equite Roman[o exercitatori equit praetorian] 7 coh I [pr III Cyr III Gall] XV Ap Beneventi
16. X 5064: M Tillius M f Ter Rufus 7 leg XX Val Vict ex CCC coh IIII pr p v princeps castror eq p exor(natus) et donis donatus ab imp Severo — — — 7 coh XII urb et I vig evoc Augg divor M Antonini et Commodi Atinae
17. XIV 4007: L Arbustius L fil Ann Valentinus Crem pp leg IV Fl f evoc Aug ex coh IIII pr 7 coh II vig 7 coh XI urb 7 coh VIII pr 7 leg VII Ge[min 7] leg VII Gemin p f (sub Septimio Severo)[2]) Ficuleae
18. V 7004: . . . . ovius L f [St]e Peregrinus [mil l]eg XXII Pr p fid — — — centurio [legi]onis eiusdem [oct]aus pilus prior Augustae Taur.
19. V 7009: et mihi vitem deder[unt in] Ulpia legione — — miseri parentes ibidem
20. V 7553: C Vettius C f Cam Verecundus Alba 7 leg X Gem p f Hastae
21. IX 1611: L Fullonius C f Ste Severus prim pil leg X Gemi . . Beneventi
22. IX 2851: Sex Magius S f Arn Saturninus 7 leg I Miner Histonii
23. X 6229: P Bruttius P f Vel Gratus domo Aquileia 7 coh I praet [prim] pil leg XIIII . . . Fundis
24. XI 19: M Apicius T. f Cam Tiro pp leg XXII Primig p f praef leg XIII Gem 7 leg XV Apollin evoc a comment Ravennae
25. XI 2704: C Manilius C f Pom C . . . [pp leg . . .] et leg VI Ferrat Volsiniis

[1]) Momms. Eph. ep. IV pag. 242 n. 83: „puto Pio" titulum supra (p. 19 n. 3) aetati Caracallae assignav..
[2]) conf. Eph. ep. V pag. 215 sub „Fulvius Capratinus".

26. XI 3856: L Betavius L f Pal Furianus pp leg I Ital — — — (amantissimo patriae) Arimini
27. Orelli-Henzen 3547: C Aninius C f Pom Gallus domo Arretio 7 leg IIII Scyth militavit in pr — — — Tiferni
28. Notizie degli Scavi 1885 pag 490: P. Cleusius P f Pub Proculus pp leg VII C p f ex corniculario pr pr (?) „Corezzo"
29. VI 1636: P Vibius P f Marianus em v — — pp bis trib coh X pr XI urb IIII vig praef leg III Ital pp leg III Gall 7 frument oriundus ex Ital Jul Dertona (tertii saeculi) Romae.

II. Hispania.

a. extra Hispaniam reperti:

1. VII 168: T Elupius Galer Praesens Gunia pri leg XX V V (a. 154) Devae
2. VIII 2807: C Antonius Maternus domo Clunia 7 leg III Aug Lambaesi
3. VIII 2938, 9: L Mantius Gal Hispanus[1]) 7 leg VII Geminae fel 7 leg III Aug IX h pr Lambaesi.

b. in Hispania reperti:

1. II 1424: L Terentius M f Quir Rufus praef coh VI Britto 7 leg I M p f don don ab imp Traiano pp leg XV Apol Bracara Augusta
2. II 4460, 1: L Aemilius L f Gal Paternus pp praef fabr 7 leg VII G 7 leg I M 7 leg VII Cl 7 leg XIII G 7 coh V urb 7 coh IIII pr CCC [7] leg II Aug et pp ter donis donatus ab imp Traiano — — — Aesone
3. II 1178, 1267: M Calpurnius M f Gal Seneca Fabius Turpio Sentinianus praef cl — — — proc provinciae Lusitaniae et Vettoniae pp leg I Adiutricis (sub finem saeculi secundi)[2]) Hispali
4. II 4463: C Julius Gal Lepidus Jesson pp centur leg X[III] Gem p f 7 leg I Adiut 7 leg X G p f [. . . 7 leg] XX V V [7 leg VII (?) Ge]m p f Aesone.

III. Gallia Narbonensis.

a. extra Galliam Narbonensem reperti:

1. III 34: L Tanicius L f Vol Verus Viennae 7 leg III Cyr (a. 81)
2. III 7397: M Julius Avitus Ultinia Reis Apollinar 7 leg XV Apol item 7 leg V Mac et leg XVI Fl fir bis donis donatus bello Dacic et bello Germanico Perinthi
3. III 10224: T Cominius T f Volt Severus Vienna 7 leg II Adiutric donis donat ab imp Caesare Aug bello Dacico Sirmii

[1]) et cognomen et tribus originem Hispanam indicat.
[2]) conf. Marq. Röm. Staatsverw. I pag. 25 f A 1.

4. III 1653: L Valer Sex f Vol Seranus Luco 7 leg IV Fl f
ad Viminacium
5. VII 371: M Censorius M fil Voltinia [Co]rnelianus 7 leg [X Fr]etensis prae[posi]tus coh I Hisp ex provincia Narbon domo Nemauso.
Uxelloduni

b. in Gallia Narb. repertus:

1. XII 2601: Blandius C [f] Vol Latinus 7 leg I Ital 7 leg II Aug 7 le[g] VIIII Hispan 7 leg XX [V V d]onis dona . . . (sub Flaviis)[1]).

IV. Alpes.

1. V 7865: Q Enibondius Montanus 7 leg III Italicae ordinatus ex eq Rom ab domino imp M Aur Antonino Aug Cemeneli, unde illum oriundum esse nomine demonstratur; confer V 7850: „Enicius", V 7872: „Enistalius".

V. tres Galliae.

1. Eph. ep. VII pag. 291 et 889: M Aur Nepos 7 leg XX V V
Devae
„in latere intuenti sinistro" ⊢ sub ascia d". Quae formula extra Gallias raro usitata hominem indicat e Gallia oriundum.

VI. Germania.

a. extra Germaniam reperti:

1. VIII 2785: P Aelius Proculi fil Cla Ara Perpetuus 7 leg III Aug (sub Hadriano)[2]) Lambaesi
2. VIII 2769: L Mellonius L f Cl Blandus Ara praef cast leg III Aug Lambaesi
3. VIII 2907: C Julius C f Cl Maritimus Ara 7 leg VI Vic 7 leg XX Vic 7 leg II Aug 7 leg III Aug Lambaesi
4. II 481: C Titius C f Cl Similis Agrippinensis — — — — primipilus leg III Aug piae vindicis princeps peregrin centurio frumentar(iorum) centurio legion X (tertii saeculi) Emeritae
5. III 265: Fl Audax 7 leg I Adiutric nat Germanic
(tertii saeculi) Ancyrae
6. VIII 2964: L Privatus Victorinus Train 7 leg III Aug
Lambaesi

„Train" lectum esse pro „Traiana" manifestum est, quo nomine utrum Thraciae an Germaniae inferioris significetur Ulpia Traiana, dubium est. Hoc magis esse probabile cognomen gentilicium indicare videtur, quod cum minus recte legatur: „Privato" pro „Privatio" vel „Privatinio", fictum esse more qui vigebat in Germania et Gallia septentrionali, brevi monstrabitur.

---

[1]) tempus ea re circumscribitur, quod legio I Italica creata est a Nerone, legio IX Hispana autem deleta est c. a. 120. Fortasse donis militaribus donatus est in bello Agricola duce in Britannos gesto.

[2]) Is cum pater civitate Romana careat, L Quintinius Perennis autem frater alio nomine gentilicio utatur, quin ab Hadriano civitate Romana donatus sit, haud dubium est.

b. in Germania reperti:

1. Bramb. 1406 conf. Bonner Jahrb. n. 74 pag 87: L Gellius L f Fla Celerianus Nemes 7 leg XXII Pr p f (a. 204).

Horum centurionum e Germaniis oriundorum patriae laudantur in titulis. Alios ex illa provincia ortos ipsum nomen indicat. Nam observatum est a viris doctis[1]) in Germaniis et in Gallia septentrionali viguisse morem, ut nomina gentilicia fingerentur ex cognominibus „ius" aut „inius" syllabis vocabulo primitivo suffixis[2]), velut formatum est ex „Silvanus" „Silvanius", ex „Simplex" „Simplicinius". Qua de causa etsi nonnulli Pannonii et Norici[3]) nominibus utuntur eodem modo formatis, tamen extra dubitationem statui puto eorum hominum, quos hisce nominibus in titulis Germanicis uti deprehendimus, maiorem partem illinc esse oriundam. Orti sunt igitur e Germaniis Belgicave omnes fere hi:

2. Westd. Korresp. 10 col. 112: M Verecundinius Simplex 7 leg XXX Ulp (titulus positus est a. 164)
3. Bramb. 1529: L Marinius Marinianus 7 leg VII Gem Alexandrianae
(Aquis Mattiacis)
4. Bonn. Jahrb. 69 Simplicinius Victor 7 leg I M et III Parthicae pag. 45
Bonnae
5. Bramb. 453: M Alpinius Firmanus 7 leg I Miner „Hersel"
6. Bramb. 922: Primanius Primulus 7 leg XXII Pr p f
Moguntiaci
7. Bramb. 1548: Crescentinus Resbectus 7 leg VIII Aug „Nassau".

VII. Noricum.

a. extra Noricum reperti:

1. Bramb. 1340: L C . . . L f Cla Viru[no T]ertius 7 leg XI C p f (sub Flaviis) Castello Mattiacorum
2. III 1615: C Censorius C fil Serenus Fl Solva 7 leg XIIII Gem
„Dacia incerta"
3. V 5760: L Titius L fil Flav Solva Titianus 7 leg I Adiut . 7 leg . . Aug 7 leg ////V Gem
Hastae.

b. in Norico reperti:

1. III 13524: C Cassiu[s . . f] Cla Maximus 7 leg VI Ferratae
(sub Domitiano) Celeiae

---

[1]) conf. Hettner, Westdeutsche Zeitschr. II (1883) pag. 7 sqq. Keune, Ges. f. lothr. Gesch. u. Altertumsk. 9 (1897) p. 55 sqq

[2]) conf. eph. ep. V pag. 231: ex militibus 6 e Germania inferiore ortis quattuor utuntur nominibus gentiliciis tali modo fictis.

[3]) conf. VIII 9761, VI 3625, III 4784, 4787, Hispanus quoque: VIII 3226.

2. III 5336: M Cl Ti f Lucullus 7 leg XIIII 7 leg XIII[1]) Solvae
3. III 5223: L Dindius Respectus 7 leg XIII Geminae Celeiae
Is cum titulum posuerit una cum fratre, qui militavit centurio speculatorum, matri, cui nomen est Gaviae Virunae, Celeiae natus esse videtur praesertim indicante matris cognomine hanc esse Norico oriundam.
4. III 4855: Val Cl Quintus pp leg II Ital dux leg III Ital, dux et praep leg III Aug (tertii saeculi) Viruni.

VIII. Pannonia.

a. extra Pannoniam reperti:

1. Bramb. 1752: P Ferrasius Cl Avitus Savaria 7 leg VIII Aug p f Co(moda) ex aquilifero leg I Adiutricis (a. 191) „Aschaffenburg“
2. Bramb. 464: C Publicius C fil Septimia Siscia Priscilianus pp leg I M Severianae (a. 222) prope Bonnam
3. XIII 1890: L Septim L f n Pannonius d Ulp Papiria Petavione Marcellinus 7 leg I Adiutricis item leg XIIII Geminae item leg XXX U V S(everianae) A(lexandrianae) Lugduni
4. VIII 2675: M Aurel M f Sergia Carnunto Sabinus praef leg III Aug p v Maximinianae Lambaesi
5. III 6187: . . . Cla Decimus [Sava]ria 7 leg V [Mace]donicae Troesmi[2])
6. II 4147: M Aur M f Pap Lucilius Poetovion ex singularib imp 7 leg I Adiut leg II Tr leg VIII Aug leg XIIII Gemi[n] leg VII Cl leg VII Gemi[n] hast pr Tarracone
7. III 260: M Aebutius M f Ulp Papir Troiana Victorinus Poetovio — — — mil leg X G 7 leg XI Cl 7 leg XIIII G 7 leg I Mine 7 leg XXII Pr 7 leg XIII G 7 leg [VI]I Cl 7 leg XV [Ap] Ancyrae
8. III 264: T Cerv[onius] Lucus 7 leg XVI Fl natus Savariae Ancyrae
9. VIII 2826: T. Aurelius T f Aelia Vibius Acuinci 7 leg III Aug p v (tertii saeculi) Lambaesi
10. VII 723: Saturninus pp filius eius „Corn Victor s(ingularis) c(onsularis)“ civis est Pannonius (tertii saeculi) Vindolanae

b. in Pannonia reperti:

1. III 3846: M Titius M f Cl Ti Barbius Titianus decurio Emonae 7 leg II Adiutric item leg X Fretens hastatus in coh I ex cornicular pr pr Emonae
2. III 3259: M Ulp Titus Sirmi [7] leg I Adi p [f] . . . [XI]V G M V [7] leg V M[aced] Cusi

[1]) Qui titulus cum pater illius centurionis sit II vir iure dicundo, ante Flavios positus esse non potest, quibus imperitantibus Solva iure municipii donata est.

[2]) unde legio illa a Septimio Severo translata est in Daciam.

3. III 4416: T Flavius Verecundus Cl Savaria 7 leg XIIII G M V Carnunti
4. III 10019: M Aur Emeritus dom Sergia Carnunto 7 leg I Ad Brigetione.

IX. Dalmatia.

a. extra Dalmatiam repertus:

1. III 13360: M Herennius Tromentina Valens Sa(l)ona evocatus leg XI Cl 7 leg eiusd 7 leg I Adi 7 leg XV Apol 7 leg item I Adi 7 leg ////Fl „Vinszovoima“.

b. in Dalmatia reperti:

1. III 2917: Q Raecius Q f Cl Rufus pp leg XII Fulm trecenarius donis don ab imper Vespasiano et Tito — — — ab imp Trai, princ praet Jaderae
Fortasse titulus positus est Nedini, ubi tribus Claudia
2. III 6359: C Statius C f Serg Celsus evoc Aug donis donatus — — — — ab imp Caesare Nerva Traiano 7 leg VII Geminae Ricinii.

X. Moesia.

a. extra Moesiam reperti:

1. VIII 2871: T Flavius T filius Ulpia Herculanus Retiaria 7 leg III Aug Antoninianae Lambaesi
2. VIII 3001: T Vitellius Atilianus T fil Viminaci 7 leg III Aug 7 leg IIII Fl VII Cl XII Ful XV Apoll VIII Aug VII Cl II Adiut VI Vict Lambaesi
3. VIII 2786: P. Aelius P f Romanus ex Mysia 7 leg III Aug et VII Cl XX V V et I Ital donis donatus debellator hostium prov His et Mazicum reg(ionis) Montens (tertii saeculi) Lambaesi
4. V 942: Val Longiniamus — — optio leg XI Cl — centurio ord — natus in Moesia infer castell Abritanor Aquileiae

b. in Moesia reperti:

1. III 7428: C Jul Crescens 7 leg I Italic Oesci
Is, cum pater (C Jul C f Col Celer) veteranus sit legionis V Macedonicae, huius legionis in castris natus esse videtur.
2. III 6224: M Aurelius Justus domo Horrei Margensis m Moesiae superioris ex CCC pp (scilicet legionis I Italicae, sub Alexandro) „in Moesia inferiori“.

XI. Dacia.

1. Orelli-Henz. 6747: titulus Fulginias, III 1180: tit. Apulensis, e qua colonia Marcellum ortum tribus indicat:
P. Aelius P f Papir Marcellus cent frum subprinceps peregrinorum astatus et princeps et primipilus leg VII Gem pie fid praef leg VII Clau et primae Adiutricis v e

XII. Macedonia.

1. VIII 2865: C Domitius C f Maec Pudens Pelag(onia) 7 leg III Aug — Lambaesi.

XIII. Thracia.

1. V 940: Val Aulucentus leg XI Cl milita gregales — — — et centurio factus — Aquileiae
2. III 12440: Aur Mica centurio leg XI Cl

Utrumque horum Thracia oriundum cognomina indicant.[1]

XIV. Graecia.

1. III 42: C Maenius Haniochus domo Corinthi 7 leg XI Cl p f item I Ital item II Tr f (a. 127) — ad Memnonis columnam.

XV. Asia.

a. extra Asiam reperti:

1. Br. 1732: T. Manius T f Pollia Magnus Senope 7 leg XXII P pf — „Schlossau"
2. VII 91: [7 leg . . .] ae bis [7 leg . . .] bis 7 leg . . . . 7 leg III Au[g . . . . 7 l]eg XX Val V[ict oriun]dus Nicae[a in Bithyni]a — Camuloduni
3. IX 954: M Aelius Caesonianus Dionysius pp Amastrianus ex eq R — Aecae Apuliae
4. Br. 787: Fl Gordius Rufinus 7 l I [c] hortis Rhamae milliariae in Syria genitus in Asia Trallis — Augustae Trevir.

b. in Asia reperti:

1. C I G 4367 k: *Λούκιος Οὐπτούριος Ἀριστιανὸς $\overline{P}$ λεγ $\overline{ις}$ Ἀπολλιναρίας* Termessi Pis; unde centurio, cum matri posuerit titulum oriundus videtur.
2. C I G 4346: *[Ἀ]βρωνιανὸς Λολλιανὸς δουκηνάριος ἀπὸ ἐπι[τρ]όπων πριμιπι[λ]άραος — — —. εὐεργέτης τῆς πατρίδος* — Sidae Pamphyliae
3. C I G 2803: — — — *ον Κυρείνᾳ Ἱερατικὸν ἐξ ἱππι[κ]οῦ τάγματος ἑκατοντάρχης λεγιωνάριος*[2]) — Aphrodisiade

XVI. Syria.

a. extra Syriam reperti:

1. III 771: M Domitius Capitolinus 7 leg XI Cl p f domo Capitoliade — Tomis
2. III 6186: Tib Claudius Tib f Quirina Ulpianus dom Laod Syriae 7 leg X Gem et IIII Fl et XII Fulm et III Cyr et X Fret et II Adiut et V Ma — Troesmi
3. VIII 2808: M Antonius M fil Collin Sabinus Caesarea Augus 7 leg X Fr 7 leg III Aug

[1]) conf. III 6150 et VIII 3679; script. hist. Aug. 19, 1, 6.

[2]) Amico eius nomen est L. Septimius.

4. VIII 2997: L Valerius L f Col Rufus domo Antiochia 7 leg III Aug et XXII Primig — Lambaesi
5. XII 3072: C Julius Tib fil Fab Tiberinus pp domo Beryto — Nemausi
6. Eph. ep. VII n. 887: M Aurelius Alexand prae[fect] cast leg XX . . nat [S]urus Co[mmag] — Devae
7. VI 423: L Trebonius Fab Sossianus Colonia Heliupoli 7 frum leg IIII Fl Gordianae — Romae.

Praeterea maior pars eorum centurionum, qui Iovi Heliopolitano titulos dedicaverunt, e Syria oriundi videntur. Namque observari potest illius dei cultum non ita fuisse pervagatum per universum imperium ut Iovis Dolicheni, sed imprimis viguisse apud homines natione Syros.[1]) Centuriones, qui Iovi Heliopolitano titulos posuerunt, innotuerunt mihi hi:

8. III 1353: Q Licinius Macrinus 7 leg IIII F f — Veczel
9. III 1354: L Licinius Messalinus 7 leg XIII G — Veczel
10. III 11138: L Pompeius Caeneus princeps leg XIIII G M V — Carnunti

Quem ex Oriente oriundum fuisse nomen ipsum indicat.

11. VIII 2627: C Julius Valerianus 7 leg III Aug XVI Fl f bis IV Scyth bis — Lambaesi
12. ibid.: Julius Proculus 7 leg V Mac et III Gal et XXII Primig — frater eius, qui praecedit.

b. in Syria repertus:

1. III 186 (titulus bilinguis), C I G 4536: M Septimius M f Fab Magnus 7 leg III Gal iter et IIII Scyt et leg XX V V iter et leg I Miner et leg X Fret II (tertii saeculi ineuntis[2]) — Aradi

XVII. Africa.

a. extra Africam repertus:

1. III 6185: L Antonius L fil Arnensi Felix Karthagine 7 leg III Aug 7 leg X Gem 7 leg X Ital — Troesmi

Idem cum commemoretur in titulo Lambaesitano: VIII 3174 non ante aetatem Hadriani militavit.

b. in Africa reperti:

1. VIII 2354: M Annius M f Quir Martialis mil leg III Aug duplic alae Pann dec alae eiusdem 7 leg III Aug et XXX Ulpiae Victricis missus honesta missione ab imp Traiano — — — Part(hico) — Thamugadi

[1]) centuriones ei, quos attuli sub n. 5 et 7 Iovi Heliopolitano titulos posuerunt, deinde conf. VI 420 sqq.; X 1634.

[2]) Huius cum fratri nomen sit L Septimio, titulus aetatem Severi non superat; temporibus autem Alexandri non recentior est, quo imperatore legio III Gallica exauctorata est.

2. VIII 1574: C Julius C f Corn Galba 7 leg XXII Primig hastatus (sub Pio)[1] Musti
3. VIII 8934: P Blaesius Felix 7 leg II Traian fort (sub Pio) Saldis
Titulus positus est „adfini“, qui donis donatus est a divo Hadriano.
4. VIII 15872: Q Julius C f Quir Aquila equo publico — — — 7 leg I Adiutricis 7 leg XXX Ulpiae Victricis 7 leg X Fretensis (sub Pio)[2] Siccae
5. VIII 14698: C Octavius Q fil Cornel Honoratus adlectus ex eq R a divo Pio in leg II Aug, 7 leg VII Cl piae fidel 7 leg XVI Flaviae fir 7 leg X Gem p f V prim posterior Thuburnicae
6. VIII 217: [M Petronius Fortunatus] . . . . militavit — — — in leg III A[ug] — — — militavit 7 leg II Ital 7 leg II . . 7 leg III Aug 7 leg II[I] Gall 7 leg XXX U[l]pi 7 leg VI Vic 7 leg III Cyr 7 leg XV Apol 7 leg II Part 7 leg I Adiutricis consecutus ob virtutem in expeditionem Parthicam coronam — — — (sub Severo) Cillii
7. ibid. M Petronius Fortunatus filius 7 leg X[X]II Primig 7 leg II Aug
8. VIII 12128: Iulius Ingennus obit in Gallia morte, Coniunx patriae mandat Virula corpus Germaniae meruit speculator et cornicularius Legionis. Initium vitis vitae finis erat. Chusibae
Obiit fortasse in bello contra Albinum gesto.
9. VIII 2878: M Furius M f Papiria Candidus Theveste 7 leg III Aug Antoninianae Lambaesi
1. VIII 825: Q Gemnius Q f Ar[n] . . . bino 7 leg III Geminae leg VI [fer]r leg [X]IV Mar leg [III] Cyr [leg . . . .] p f Turcae
2. L Rutilius Paulinus 7 leg III Aug decimus pilus Lambaesi
Titulum posuit patri, D Rutilio Donato decurioni coloniae Hadrumetinorum
3. VIII 12297: Q Ennius T f Quir Erpillus 7 leg III Aug Bisicae
5. VIII 2980: L Tannon[ius . . fil] Lamb E . . 7 leg III A[ug qui in] congre[ssione hostium] dimica[ns occidit] Lambaesi
6. VIII 1322: C Sulgius L f Pap Caecilianus praef leg III Cyrenaicae pp leg XX Valeriae Victricis — — — 7 leg III Aug et septimae Geminae et primae Parthicae et XVI Fl f et XIII G nauarch classis — — optio peregrinorum et exercitator militum frumentarior Tuccabore.

2. De dilectu legionario inde ab Vespasiani aetate usque ad Hadriani tempora.

Priusqnam quidnam ex centurionum titulis eluceat de dilectus legionarii ratione eius aetatis, qua alterum dilectus

[1]) Ex testamento eius filius templum Fortunae dedicavit a. 164.
[2]) conf. Prosop. I pag. 191 n. 205.

genus viguisse Mommsenus statuit, explicem, hoc mihi praemittendum est.

Hoc loco, etiamsi rationem illam, ut legiones ex ipsis, ubi tendebant provinciis supplerentur, ab Hadriano esse institutam coniecerit Mommsenus, tamen mihi, cum centuriones testes sint eius rationis, qua dilectus habiti sunt circiter viginti annis, antequam positi sunt tituli eorum, etiam aetatis Antoninianae lapides sunt respiciendi. Quorum titulorum, quamquam in magna eorum parte certa temporum indicia desiderantur, cum tituli superiorum temporum facile discernantur ab nostrae aetatis titulis, lapides autem sub finem saeculi secundi vel tertio saeculo ineunte positi variis indiciis, quorum viri docti, qui incumbunt in studia epigraphica, non sunt ignari, originem suam indicent recentiorem, ei fines, quos constituere possumus, paucos continent titulos, qui non sunt huiusce aetatis. Qua de causa, ut eos quoque lapides, qui certis temporum indiciis carent, trahamus in hanc quaestionem, cum duas partes eorum huic assignem aetati, non sine licentia quadam me agere confiteor, sed in universum non valde me errasse persuasum habeo.

Iam id, quod efficiendum est ex titulis, quos supra composui, hac tabula comprehendam, in qua centurionum eorum, quorum tituli in patria positi sunt, ratio non est habita:

	cum certis temporis indiciis	sine certis temporis indiciis	
Italia:	4	6 (9)[1])	10
Hispania:	1	1 (2)	2
G. Narbon:	3	1 (2)	4
Germania:	1	1 (2)	2
Noricum:	1	1 (2)	2
Pannonia:		1 (1)	1
Macedonia:		1 (1)	1
Graecia:	1		1
Asia:		1 (1)	1
Syria:		3 (5)	3

[1]) numeri uncis circumclusi significant, quot centurionum tituli secundo saeculo assignandi sint.

In quam diversam ab aetate anteflaviana formam, ut, quod modo numeris significavimus, iam verbis explicemus, deductus sit dilectus legionarius, optime cognoscitur ex his numeris cum numeris centurionum, quorum tituli illa aetate extra patriam positi sunt, comparatis.[1]) Nam omnes hos centuriones uno excepto, qui ortus est ex Gallia Narbonensi, ex Italia esse oriundos supra vidimus. Ac primo quidem obtutu Italorum numerus etiam hac aetate satis magnus videtur; sed minimam eorum partem in legionibus esse probatam, si acrius inspiciemus, continuo apparebit. Deinde Galliam Narbonensem plurimum ex provinciis occidentalibus contulisse ad dilectum legionarium, numero centurionum illinc oriundorum non minus quam militum titulis comprobatur; aliae quoque Occidentis provinciae non parva praebuerunt legionibus supplementa. Provincias orientales pro numero legionum in eis tendentium contribuisse ad supplendas legiones evidenter elucet.

Sed ut me convertam ad titulos in patria repertos, ex hominibus 11 ex Italia ortis[2]) duos[3]) in legionibus probatos esse constat, unum[4]) verisimile est; reliqui in praetorio militaverunt.

In Hispania duo huiusce aetatis tituli centurionum natione Hispanorum reperti sunt, quorum alter centurio erat ex equite Romano;[5]) alter cum centurio factus sit in legione VII Gemina, quin in hac legione probatus sit, haud dubium est.[6]) Centurio ex Africa oriundus in legione Africana probatus est.[7])

Deinde commemoratione dignum videtur, quod duo centuriones e Dalmatia orti, quorum tituli in patria eorum hac aetate positi sunt, caligati militaverunt in praetorio, in quo etiam unus centurio e Dalmatia oriundus, cuius titulus extra patriam repertus est, stipendia fecit.

[1]) pag. 28.
[2]) pag. 33 sqq. n. 1, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 18, 23, 24, 27.
[3]) n. 1, 18.
[4]) n. 5.
[5]) conf. pag. 5.
[6]) conf. pag. 35.
[7]) conf. pag. 41.

Haec habui, quae ex centurionum titulis de huiusce aetatis dilectu legionario concluderem. Restat, ut quaeramus, num ea, quae hoc modo effecta sunt, congruant cum sententia Mommseniana. Atque equidem puto, quod Mommsenus iudicavit de horum temporum ratione dilectus: „Ausschließung der Italiker vom regelmäßigen Legionardienst bei sonstigem Festhalten des augustischen Systems“, non repugnare centurionum titulis. Sed duas res accuratius cognoscere operae pretium mihi esse videtur.

Primum mea quidem sententia observari potest, quomodo magis magisque res ad eam dilectus rationem, ut legiones ex ipsis, ubi tendebant, locis supplementa peterent, trahantur, cuius rei principia iam ante Vespasiani principatum cognovimus. Etenim satis apparet ex militum titulis milites oriundos ex eis provinciis, in quibus tendebant legiones, in his praecipue militasse.[1])

Deinde cum Mommsenus statuerit Italos hac aetate exclusos esse a dilectu legionario, vocabulum illud, quo utitur: „Ausschließung“ paulo moderandum esse censeo. Doctissimus ille vir, qui eam rem gravissimam illius temporis commutationem fuisse arbitratur, causam eius invenit hanc[2]): Germanicas legiones, ut Italia potiri conarentur, sine dubio incitatas esse superbia sua; quam superbiam esse natam ex spiritibus et arrogantia, quae homines ex Italia oriundi assumpsissent erga provinciales. Vespasianum huius mali radicem perspexisse idque exstirpavisse, cum Italos excluderet a dilectu legionario et ad praetorianorum stipendia sola admitteret.

Huic sententiae primum repugnat, quod extremis Neronis temporibus, si Tacitum quidem sequimur, in illis legionibus natio Italica iam non praevaluit[3]). Mommsenus cum ex Taciti

[1]) conf. Br. 1658, 1177, 1178 in legione XIV Gemina M. V. tres homines Claudia Ara oriundi. Norici imprimis in Germania superiore (Br. 944) et in Illyrico stipendia fecerunt (conf. III 4461 Eph. ep. II n. 853 et titulos centurionum pag. 37 sq.). Milites e Pannonia orti, quorum tituli huic aetati adsignari possunt, in legionibus Pannoniae probati sunt (conf. III 11218, 4491, 4473, 4489).

[2]) conf. Herm. 19 pag. 20 sqq.

[3]) hist II, 21: „miles peregrinus“. Milites peregrinos oriundos esse Gallia et Germania alio loco (II 93) demonstratur.

verbis nihil concludi posse putet nisi provinciales quoque in exercitu Germanico militavisse, nam Tacitum non Neronis, sed suae ipsius aetatis condiciones descripsisse,[1]) sententia eius militum titulis ante Flaviorum aetatem positis confirmari videtur. Sed hi tituli non sunt referendi ad extrema Neronis tempora, cum in spatium eos distribui opus sit non minus octoginta annorum. Legionem IV Macedonicam quidem supplementa arcessivisse sub Nerone imprimis ex Gallia Narbonensi supra est demonstratum, et sub Vespasiano homines Claudia Ara oriundos in legione XIV Gemina deprehendimus. Accedit, quod et numerum militum e Gallia Narbonensi ortorum celeriter auctum et legiones iam tum, quantum possent, expletas ex ipsis, ubi tendebant, provinciis et dilectum legionarium civitatis Romanae propagationem subsecutum observavimus, quibus omnibus rebus fieri non poterat, quin numerus militum natione Italorum magis et magis imminueretur. Videmus denique etiam post Vespasiani principatum non paucos Italos in legionibus probatos esse.[2])

Quid igitur id edicto unius hominis factum esse putemus, quod natura rerum poposcisse videtur!

Semper imperatores id spectaverunt, ut Italia, sedes imperii, quam maxime fieri posset, liberaretur muneribus publicis. Dilectum autem legionarium grave visum esse onus cum per se manifestum est tum scriptorum locis confirmatur[3]). Quo factum est, ut quo plures provinciales idonei erant, qui in legionibus militarent, eo pauciores Itali conscriberentur. Quod autem Flaviis imperantibus Italia, quantum fieri poterat, exempta est de dilectibus, nemo est, qui miretur, cum novae domus imperatoriae permagni interfuisse apertum sit favorem atque voluntates praesertim Italorum sibi conciliare.

[1]) Herm. 19, pag. 19.

[2]) conf. Bonn. Jahrb. 57 pag. 70 Mediolanum I F(lavia) M p f, Bramb. 233 Verona VI p f, Br. 1884 Mediol. VIII Aug., Br. 1186 Verona XIV Gem. M V.; cf. eph. ep. V pag. 221 leg. XI Claudiae castra in Germania superiore, III 4057 Dertona II Adiutrix, III 3567 II Adiutrix, III 4463a Florentia X Gem., III 10877 Industria, 10880 Bergomum XIII Gem. in Pannonia, III 4435 Assta XV Apoll.

[3]) Velleius Paterculus, hist. Rom. II pag. 130, 2. Conf. Tac. ann. 4, 4, hist. 4, 14.

3. De dilectu legionario inde ab Hadriani aetate usque ad Severi Alexandri tempora.

Inde ab Hadriani aetate eam fuisse dilectus rationem Mommsenus posuit, ut ipsae, ubi tendebant legiones, provinciae eis supplementa suppeditarent. Iam, quid edoceant de eadem re tituli centurionum, cognoscamus, ex quibus quid efficiendum sit, describam hac tabula:

	tituli		
	sine dubio	ut suspicor	
	huius aetatis proprii		
Italia:	6	3	9
Hispania:	.	1	1
Gallia Narb.:		1	1
III Galliae:	1		1
Germania:	3	1	4
Noricum:		1	1
Pannonia:	8[1])		8
Moesia:	4		4
Asia:	2[2])		2
Syria:	2	2	4
Africa:		1	1

Si ea, qua statuit Mommsenus, ratione, dilectus habiti sunt, plurimos eis ex provinciis oriundos esse centuriones necesse est, in quibus plurimae tendebant legiones. Atque re vera videmus maiorem centurionum numerum ortum esse ex eis provinciis, in quibus complurium legionum castra erant, id est Germania, Pannonia, Moesia, Syria, cum ex provinciis, in quibus singulae tendebant legiones, singuli innotuerint centurionum tituli.

Deinde magni momenti esse puto, quod cum superioribus temporibus octo centuriones e Gallia Narbonensi oriundos invenerimus, huic aetati titulus ne unius quidem centurionis oriundi ex illa provincia, ubi legiones non tendebant, sine ullo dubio adsignari potest.

[1]) e quibus unus provenit ex equitibus singularibus Augusti.

[2]) quorum alter ex equite Romano est.

Cum igitur Mommseni sententia hisce numeris confirmari videatur, idem opinor elucebit ex titulis in patria repertis et reliquis eo consilio perspectis, ut cognoscamus, quibus in legionibus singuli stipendia sua sint auspicati.

Centuriones natione Itali,[1] quorum quidem in titulis stipendia ante centurionatum facta laudata sint, e praetorio provenerunt. Centurio ex Hispania oriundus,[2] cuius stipendia centurionica exhibentur omnia, primum ordines duxit in legione VII Gemina. Germanorum,[3] quorum tituli extra patriam reperti sunt, duo omnia enumerant stipendia, quorum alterius titulus mutilus est, alter ordinem accepit in legione Britannica; sed in Germania ipsa titulus centurionis e civitate Nemetum orti repertus est, qui militavit in legione Moguntiaci tendente; praeterea complures legionum Germanicarum centuriones illa e provincia oriundos ipsa nomina indicant. E centurionibus natione Pannoniis[4] duos in legionibus Pannonicis gregales militavisse constat, reliqui, quorum quidem stipendia centurionica exhibeantur omnia, in legionibus Pannonicis centuriones facti sunt; inter eos quoque centuriones, quibus, dum militant in legionibus illic tendentibus, tituli positi sunt complures inveniuntur e Pannonia oriundi. E centurionibus natione Moesis[5] unus in legione Moesica probatus est; ei autem, quorum omnia laudantur stipendia centurionica, ordinati sunt in legionibus Moesicis.[6] Centurionum ex Asia oriundorum alter primum ordines duxit in legione orientali,[8] alter, cuius titulus in patria positus est, centurionatu functus est in legione XV Apollinari. Syrorum,[9] quorum in titulis omnia enumerantur stipendia centurionica, alter ad centurionatum promotus

[1]) conf. pag. 33 sqq.
[2]) conf. pag. 35.
[3]) conf. pag. 36 sq.
[4]) conf. pag. 38 sq.
[5]) conf. pag. 39.
[6]) Is quem attuli sub n. 3 quin in legione IV Flavia ordinem acceperit, haud est dubium, praesertim cum oriundus sit Viminacio.
[7]) pag. 40 sq.
[8]) n. 2, significationem „* legionis — bis“ non inveneris nisi in legionibus orientalibus.
[9]) pag. 40 sq.

est in legione X Fretensi, alter in legione III Gallica; praeterea e duobus fratribus, quos natione Syros fuisse conieci, alter primum stipendiis centurionicis functus est in legione XVI Flavia alter in legione III Gallica. Centuriones denique Africa orti, qui quidem stipendiis gregalibus functi ad centurionatum legionarium successerint, omnes fere in legione III Augusta probati sunt.

Videmus igitur centurionum titulis et universe et singillatim adhibitis sententiam Mommsenianam optime confirmari.[1])

4. De dilectu legionario inde ab Alexandri temporibus usque ad aetatem Diocletianam.

Rationem illam dilectus, de qua modo egi, ab Hadriano institutam esse Mommsenus statuit, quam definitionem temporis satis congruentem esse ex tabulis, quas supra composui, inter se comparatis apparere puto. Iam quaeritur, quamdiu viguerit hic supplendi legiones modus. Viguisse eum etiam Caracallae temporibus laterculis Africanis demonstratur.[2]) Sed Severo Alexandro quidem imperante dilectus legionarius in novas videtur redactus esse formas. Quae ut explicem, militum titulis uti satis habeo, cum centurionum lapides exstent pauciores, quam ex quibus certum aliquid efficiatur.

Incipiamus a legionibus in Germania inferiore tendentibus. Quarum legionum sub Septimio Severo, ut Schillingius[3]) non minus sagaciter quam recte explicavit, et vexillationes Lugduni collocatae sunt et veterani eo potissimum deducti sunt. Ibi lapides complures reperti sunt, in quibus patriae militum laudantur. Ex his miltibus et veteranis sex oriundi sunt e Germania inferiore Belgicaque;[4]) sed praeterea unus invenitur, quem ex

[1]) Quod nullus innotuit centurio e Britannia oriundus, qua in provincia tres tendebant legiones, quamvis militum natione Brittonum nonnulli tituli reperti sint, indicare videtur in illa quidem provincia rationem hanc dilectus non plene viguisse. Centurionum eorum, quos ex his legionibus provenisse verisimile est, (p. 36, V 1, VI 3,) alter Germania inferiore, alter Gallia oriundus est.
[2]) conf. VIII 2586.
[3]) Leipz. Studien, 15 pag. 66 sqq.
[4]) conf. Eph. ep. pag. 202 sub „legio I Minervia“, pag. 231 sub legio XXX U V.

Oriente ortum nomen indicat,[1]) et tres natione Thraces.[2]) Quodsi Schillingius ad id refugit, ut vexillarios legionum identidem missos ad beila cum Parthis aliisque Orientis gentibus gerenda per Thraciam pergentes dilectum ibidem fecisse, haec ratio ineunda fuit, si unus vel duo innotuissent milites e Thracia oriundi. Sed ad eos quos modo attuli, addendus est „dupliciarius leg I M Severi[anae] natione Trax,“[3]) cuius titulus positus est Bonnae. Praeterea ex eis viris, qui anno p. C. 233 pro salute imp Severi Alexandiri Aug dedicaverunt titulum: „Sept Mucatra imp et Sept Callus et Sept Mucatra et Sept Deospor et Sept Samnus et Sept Mucatra candidati“; tres illi Septimii Mucatrae sine dubio natione Thracica sunt,[4]) fortasse reliqui quoque. Quid? quod etiam in Germaniae superioris legionibus deprehendimus cives Thraces. Nam in titulo Br. 1341, quem titulum Mommsenus totum corruptum esse dixit, cum scriptum sit: „Aulus Coraulus mil leg XXII P p f qui vixit — — — — cives civitate Anchenus n Diatr et Mucapor Mu[catr]alis mil leg [eiusd] fratres et contubernales“ id quidem extra dubitationem concludi potest ex fratrum illius cognominibus homines hosce esse e Thracia oriundos.

Contra M Aurelium Aristaenetum vet leg primae M[5]) et M Aurelium Antiochum[6]) ex Oriente ortos cognomina indicant; L Aurelius Dosso[7]) M Ulpius Panno[8]) ex Illyrico oriundi videntur.

Huc quoque referendus est locus quidam Herodiani, unde legiones Germanicas extremis Alexandri temporibus bona ex parte suppletas esse dilectibus in Pannonia habitis elucet.[9])

[1]) XIII 1841 Aurelius Demostenes vet leg XXX.

[2]) XIII 1843: ex] prov Thra[cia . . .]ensis 1856: domo Philippopoli 1891 domo Philippopoli.

[3]) Bramb. 475.

[4]) conf. VIII 3079: Mucratulis Auluseni — — — natione Tr(a)x

[5]) Bonn. Jahrb. 1896 pag. 163.

[6]) Br. 433.

[7]) Br. 649.

[8]) Br. 646.

[9]) Herodian VI, 8 *Τον δὲ Μαξιμῖνον τοῦτον Ἀλέξανδρος ἐπέστησε πάσῃ τῇ τοῦ στρατοῦ νεολαίᾳ — — — οἱ νεανίαι, ἐν οἷς ἦν τὸ πολὺ πλῆθος Παιόνων μάλιστα.*

Ceterum equidem suspicor illum rerum scriptorem non solum Pannonios significavisse, sed Pannonios in universum dixisse pro Illyricis.

Postquam ita observavimus tertio quidem saeculo vel potius inde ab Severi Alexandri temporibus[1]) legiones in Germaniis tendentes iam non ex illis provinciis, sed ex aliis quoque, imprimis Thracia et Illyrico, arcessivisse supplementa, iam perlustremus reliquarum legionum titulos hac aetate positos.

Legionem III Augustam sub Elagabali imperio fere totam ex ipsa Africa conscriptam constat; sed ex militum lapidibus, qui propter formam et scripturae et dictionis barbaram recentioribus assignandi sunt temporibus, tituli VIII 3026: „Agrilio Prisco mil leg III Aug natione Italus — — — municeps amico“ et VIII 2801: „Alfius Blasius ✝ leg III Aug Cecilio Cecilio Proculeiano mil leg candidato condecurio ex Campania“ Italiam non paucos praebuisse illi legioni milites demonstrant. Eodem fere tempore Moesos et Thraces in legione III Augusta militavisse cognoscitur ex titulis VIII

[1]) In titulo Lugdunensi XIII 1766 cum legatur: „pro salute dom[ini] n̄(ostri) imp L Sept Severi Aug totiusq domus eius Aufanis ma[t]ronis et Matribus Pannoniorum et Delmatarum Ti Cl Pompeianus trib mil leg I Min“ dedicationem esse referendam ad patrias militum sub dedicante constitutorum Mommsenus coniecit (Eph. ep. V pag. 202). Constat autem sub Severo vexillationes legionum Germanicarum constitisse Lugduni neque, quin ille tribunus praefuerit vexillis legionis I Minerviae, dubium esse videtur. Quos vexillationes legionarias vexilla auxiliaria secuta esse earum cohortium, quae in eadem provincia consistebant, eaque fuisse sub cura praepositi vexillationis legionariae verisimile est. In Germania inferiore autem et cohortem IV Delmatarum et cohortem I Pannoniorum constitisse tituli Br. 740 · 44 in „Bingerbrück“ reperti testantur. Cohortem VI Delmatarum a. 103 tetendisse in Britannia diplomate III, XXXII demonstratur, quam postea in Germaniam translatam esse coniecit Hassenkampius (de cohortibus Romanorum auxiliariis pag. 44). Cohortem I Pannoniorum quoque saeculo secundo in Germania tetendisse videtur concludendum ex titulo V 885: „Adiutor Lauci f cives Menapius mil coh. I Pannoniorum.“ Namque cum primo quidem saeculo cohortes auxiliares ex eis gentibus, quarum ex nomine appellabantur, conscribi solerent, secundo saeculo bona ex parte ex eis provinciis, in quibus consistebant, eas arcessivisse supplementa Mommsenus statuit. Praeterea significatio illa: „cives Menapius“ secundum saeculum indicare videtur. Quibus de causis in illo titulo non milites legionarios, sed cohortes auxiliares notari equidem persuasum habeo, praesertim cum in Dalmatia rarissime dilectus legionarios esse habitos constet.

3198 et 18290. In legionibus Britannicis praeter homines e Belgica oriundos milites invenimus natione Moesos[1]) et Pannonios.[2]) Nationem Thracicam praevaluisse in legionibus Moesicis[3]) non est cur miremur, sed in legione III Cyrenaica quoque militem e Thracia ortum[4]) deprehendimus, cum meruerint in legione II Traiana Itali, Pannonii, Macedones. In legione II Parthica a Septimio Severo creata imprimis militaverunt Pannonii, Thraces, Daci.[5])

Quibus ex testimoniis epigraphicis evidenter apparere puto non solum ad supplendas Germaniae, sed etiam reliquarum provinciarum legiones Thraciam et Illyricum aliquantum contulisse, ita ut iuventus illinc oriunda in legionibus tertii saeculi non minus praevaluisse videatur, quam primis imperatorum temporibus iuventus Italica. Itaque id, quod Mommsenus appellavit[6]): „Illyrisierung des Militärs im 3ten Jahrhundert", non solum ortum esse existimo ex illa, ut legiones ex ipsis, ubi tendebant provinciis supplerentur, ratione dilectus, sed in omnium provinciarum legiones natio illa irrupisse, ut ita dicam, videtur, Quod autem Bohnio Thracum inter praetorianos,[7]) quorum maior pars ex Illyrico conscripta erat, tantus numerus habet aliquid offensionis, ex eadem provincia magnam militum legionariorum partem fuisse oriundam tituli edocent.

Iam, ut ad finem adducam hasce quaestiones, non alienum videtur ea, quae hucusque copiosius explicavi, paucis verbis comprehendere. Imprimis mihi demonstrasse videor id, quod Mommsenus sagaciter collegit de ratione dilectus legionarii ex militum titulis, centurionum lapidibus satis comprobari. Quod attinet ad primum dilectus genus, sententiam illius de supplementis legionum in Oriente tendentium ex ipso Oriente petitis defendere conatus sum. De altero quoque dilectus genere consensi cum Mommseno, praeterquam quod dissidebam

[1]) conf. VII 51.
[2]) conf. VII 723.
[3]) conf. Eph. ep. V pag. 202, X 4874.
[4]) conf. III 109.
[5]) conf. Eph. ep. V pag. 205.
[6]) Röm. Gesch. V pag. 228.
[7]) Ueber die Heimat der Prätorianer. Berlin 1883 pag. 16.

a viro illo doctissimo de causis Italiae de dilectu legionario exemptae. Tertium denique dilectus genus non usque ad Diocletiani tempora viguisse conieci, sed quartum genus initium cepisse ab Alexandri aetate.

Postquam unde oriundi milites in singulis legionibus meruerint, ex centurionum titulis colligere conatus sum, non alienum videtur breviter perstringere, e quibus provinciis orti centuriones singularum legionum collegiis coniuncti sint.

Atque eis quidem temporibus, quibus primum dilectus genus vigebat, in legionibus occidentis longe maiorem partem centurionum natione Italos fuisse, cum in legionibus, quae tendebant in Oriente, centuriones illinc oriundi praevaluerint, supra significatum est.

Sub finem autem saeculi primi et secundo saeculo, etiamsi perpauci homines ex Italia orti gregales in legionibus militarent, Italos centurionatuum satis magnam partem obtinuisse, ex ea re cognoscitur, quod ex centurionibus 77, quibus in castris legionum tituli positi sunt, 18 oriundi sunt ex Italia. Hi centuriones, qui omnes fere provenerunt ex praetorio, cum satis multi, priusquam translati sunt in legiones, ordines in cohortibus in urbe tendentibus duxerint, factum est, ut imprimis ad superiores gradus centurionicos promoverentur. Namque observari licet ex octo praefectis castrorum primipilisque, quibus secundo saeculo in castris tituli positi sunt, sex natione esse Italos.[1])

Maior autem centurionum pars ea quidem aetate, qua legiones ex ipsis, ubi tendebant, provinciis supplementa petebant, ex eisdem, in quibus militabant, provinciis oriunda fuisse videtur. Etenim videmus ex centurionatibus 28, quibus viri e Pannonia orti functi sunt, 10 in Pannonia, 6 in reliquis Illyrici legionibus gestos esse, homines natione Moesos ex centurionatibus 17 octo suscepisse in legionibus Moesiacis,

[1]) Domaszewski cum obtinuerit usque ad Septimi tempora omnes primipilos fuisse ex Italia oriundos. titulos III 6809, II 2424, II 4460/1, VIII 2769, III 2917 non respexisse videtur.

Syros ex centurionatibus 24[1]) decem in legionibus Syriacis obtinuisse. Cuius rei eam fuisse causam suspicor, quod ad centuriones, quippe qui transferrentur in alias legiones, ut successione promoverentur, cum vacabant munera centurionica in legionibus finitimis, saepe haec suscipienda deferebantur.[2]) Propterea id, quod modo exposui, non est referendum ad eas provincias, in quibus singulae tendebant legiones, velut ex centurionibus 19, quorum tituli reperti sunt in castris Lambaesitanis, quattuor oriundi sunt ex Africa.

Reliqua pars orta erat ex omnibus imperii Romani provinciis, in quibus quidem haberentur dilectus legionarii.

---

[1]) praeter eos, quos e Syria ortos constat, adhibui C Iulium Valerianum (11) et Iulium Proculum (12), quippe qui in legionibus Syriacis probati esse videantur.

[2]) 31 n. 2, 36 n. 3, 38 VIII n. 3, 39 IX n. 1, 41 n. 11, 41 XVI b. n. 1.

ADDENDUM:

Ad exempla epigraphica secundi saeculi, quae composui pag. 9 sq., addendus est titulus Lycius, Denkschr. der Wiener Ak. 1897 pag. 39 n. 53: *ἔπαρχος σπειρῶν χειλίαρχος λεγιόνων β' πρειμίπειλος*. Sententiae, quam supra defendi ad tres militias equestres primipilares perraro admissos esse, hic unus titulus non obstat.

Theses.

1. Persii satirae servato temporis ordine editae sunt.
2. Persius cum in versibus 42—46 satirae sextae extremis vitae temporibus scriptae Caligulam illuserit victoria non patrata triumphantem, Neronem videtur notare nuntio de turpissima apud Arsamosatam clade Romam allato medio Capitolini montis tropaea de Parthis arcusque sistentem. (conf. Tac. ann. XV, 18.)
3. Plutarchus cum in vita Camilli VI, 2 dicat: „*Λιούιος δέ φησιν εὔχεσθαι μὲν τὸν Κάμιλλον ἁπτόμενον τῆς θεοῦ καὶ παρακαλεῖν, ἀποκρίνασθαι δέ τινας τῶν παρόντων*“ verba Livii V, 22, 5 videtur non recte interpretatus esse.
4. In pictura Volcienti (Jahrb. des archäol. Instituts 1897, XII, pag. 60 sqq.) non id Mastarnae facinus fictum est, cuius Claudius mentionem fecit in oratione sua Lugduni habita (C. I. L. XIII, 1668 col. 18 sqq.), sed alia quaedam res ab illo in bello contra Romanos gesta.

Vita.

Walterus Baehr natus sum die VII. mensis Maii a. MDCCCLXXVII Burgii patre Alberto, matre Maria e gente Ruth, quos parentes adhuc superstites ex animo gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus per quinque annos adii progymnasium Steglitzianum et per quatuor annos gymnasium Fridericum Werderanum Berolinense, quorum alterum Lueckii, alterum Buechsenschuetzii auspiciis florebat.

Maturitatatis testimonium a. MDCCCXCV assecutus civibus academicis litterarum Universitatis Berolinensis adscriptus sum. Per novies sex menses in studia historica, philologica, theologica incubui. Docuerunt me viri doctissimi: Baethgen, Curtius †, Dessau, Diels, Dilthey, Harnack, Hirschfeld, Hoeniger, Huebner, Kleinert, Koehler, Krauske, Lenz, Lommatzsch †, Paulsen, Scheffer-Boichorst, Schlatter, de Treitschke †, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff.

Exercitationibus benigne aditum mihi praebuerunt theologicis in seminarii theologici sectione studiis historicis dicata per sex menses Harnack, philologicis per bis sex menses Huebner, per sex menses Froehde, Thomas, historicis, in seminario historico Scheffer-Boichorst per bis sex menses, Hirschfeld per quater sex menses.

Gratias ago omnibus his, qui me docuerunt, viris doctissimis, candidissimas vero Hirschfeldio, cui permulta me debere libenter hoc loco confiteor.

Societatis academicae philologicae sodalis sum exinde ab vere a. MDCCCXCVI.

MAR 1 1921
COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010665056